Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0001-9
DFG

Dv 2513

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0002-5
DFG

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
DÜSSELDORF
V 2655

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0003-1

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0004-6




Amſtelodami,

Ex officina Petri van den Berge, in vico (vulgo)
de Blaeuweburgwal, ſub ſigno montis Parnaſſi.
A° 1658

Arcanus Frau
8° 114960 c
LB. 137 b10
MRO.–

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0006-8

# DE RECTA CURANDORUM VULNERUM RATIONE,

ET

*Aliis ejus artis præceptis libri II.*

FRANCISCO ARCÆO

*Fraxinalenſi, Doctore Medico & Chirurgo, auctore.*

EJUSDEM

De febrium curandarum ratione.




AMSTELODAMI,

Ex officina PETRI vanden BERGE, in vico (vulgo) de Blauweburgwal/ ſub ſigno montis Parnaſſi. A°. 1658.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0007-3
DFG

# BENEDICTI ARIÆ MONTANI
## Hiſpalenſis in
## FRANCISCI ARCÆI
## Fraxinalenſis libros de utraque Medicinæ praxi.

## PRÆFATIO.

*DUo mihi juniori in Medicinæ diſciplina præcipuè contigere præceptores, graviſſimi ambo ac doctiſſimi, optimique viri: alter Petrus Mena, qui, cùm Compluti eam Philoſophiæ partem ſumma cum laude profeſſus diu fuiſſet, in Philippi Catholici Regis familiam poſtea venit, atque in illa aula magna ægrotantium utilitate verſatus diem ſuum ex calculi morbo obiit, cum grandior jam ætate eſſet, ne-*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0009-8
DFG

*que ſe chirurgo ſcindendum committere præ imbecillitate poſſet. Is præclara ingenij ac judicij ſui monumenta reliquit, quorum bona pars in lucem jam prodiit, reliqua, ut ſpero, propediem eſt proditura. Ille cùm ſæpe mecum de ea medicinæ parte ageret, quæ, quòd in vulneribus, ulceribus, luxatis, diſtortis ac fractis membris curandis verſatur, manuumque dexteritate & officio præcipuè utitur, à Græcis chirurgia dicta eſt (ut certiſſima ac totius artis tutiſſima, ſic etiam quondam præſtantiſſima habita, atque à maximis viris exculta; nunc verò imperitia & ignobilitate omnium ferè utentium abjectiſſima ac tantum non extincta penitus) nunquam ceſſabat mihi ſummoperè commendare, ac miris laudibus*

*præ-*

prædicare Franciſci Arcæi Doctoris Medici Hiſpani in omni artis hujus parte dexteritatem ac felicitatem admirabilem, ſed in chirurgiæ præcipuè exercitatione atque uſu obſtupendam quandam præſtantiam; eum autem ut mihi præceptorem conciliare ſtuderem ſuadebat, ſi cognoſcere animus eſſet, quid quantumque illa Medicinæ parte effici poſſet. Cùm autem annos jam triginta duos natus in rupis meæ Aracenenſis agri ſeceſſu eſſem, accidit ut à magni & illuſtris in poſtrema ac Luſitaniæ finitima Bethicæ parte ſiti oppidi (cui Llerina nomen eſt) magiſtratu, atque à provinciæ illius gubernatore. præcipuè verò ab inquiſitionis patribus, qui tribunal ibidem habent, ſacri verbi populo per Quadrageſimæ tempus

 enun-

*enuntiandi & exponendi cauſa per eundem Franciſcum Arcæum jam aliâs mihi puero notiſſimum & paternæ conſuetudinis neceſſitudine penè conjunctiſſimum legatum ad eam rem miſſum advocarer. Cui petitioni ego libenter conceſſi, propter ſummam muneris, quod Deo gratum fore ſperabam, honeſtatem, propter eorum, à quibus abvocabar, auctoritatem, atque adeò propter magnam meam erga legatum ipſum voluntatem: qui ſuam mihi domum ad hoſpitij uſum ultrò obtulit, & chirurgiæ artem, qua ipſe uteretur, per loci ac temporis opportunitatem communicaturum ſeſe pollicitus eſt. utranque igitur conditionem libentiſſimè accepi, atque habui per menſes quatuor ferè perpetuos ſuaviſſimis moribus ac*

ſermonibus hoſpitem doctiſſimumque chirurgiæ artis magiſtrum; à quo non tantùm illius diſciplinæ præceptis & inſtitutis inſtructus, verùm aſſiduis & frequentibus curationum exemplis auctus confirmatusque fui, quorum variam & exactam rationem longiſſimum eſſet recenſere. Huic viro eodem illo tempore cum gratior eſſe indies mihi viderer, auctor fui, ut ſuam illam vulnerum & quorundam difficillimorum morborum curandi rationem vel breviter, dilucidè tamen, deſcriberet, atque ad humani generis uſum in lucem ederet: quoniam illius in hac parte diligentiam & officium à compluribus doctiſſimis viris, præcipuè verò à Mena meo publicæ utilitatis cum primis ſtu-

dioſo, poſtulari intelligebam. Ille autem quamvis plurimis ac frequentibus per omnem illam provinciam curationibus occupatiſſimus eſſet; tamen quòd pietate per omnem vitam maximè ducatur, (utpote qui in curandis innumeris pauperibus, in quorum ſumptus pecuniam etiam ſuam impendit, magnam diligentiæ ac temporis partem ponit) ſucciſivis horis in ipſis aliquando itineribus, nonnunquam domi duo volumina conſcripſit; quorum altero chirurgiæ, quæ vulnera atque ulcera curat, & morbi gallici præſtantiſſimam curandi methodum & apertiſſimam tradit, adeo ut ad manifeſtas demonſtrationes illam medicinæ partem redegiſſe videatur. altero verò febrium genera omnia, & quoſdam diffi-

difficillimos morbos ut ptiſim, quemadmodum ipſe rectè expeditéque curare ſoleat, docet: utrumque nobis in Hiſpania perlectum, ac doctiſſimis medicis Hiſpanis, Italis & Belgis oſtenſum vehementerque probatum Chriſtophoro Plantino noſtro ſtudioſorum omnium amiciſſimo ac publicæ literariæ rei ſtudioſiſſimo prælis ſuis mandandum tradidimus. Ut autem opus non ſine digno ornamento, quanquam genio ipſo ſuo ornatiſſimum eſſet, tamen cultius prodiret in publicum, voluit doctiſſimus ac mihi ſuaviſſimus amicus Alvarus Nonnius Hiſpanus, qui Antverpiæ literarum ac diſciplinarum variarum ſtudiis ingenioſiſſimam dat operam, ac medicinam magno cum ægrotantium uſu exercet, alteram partem, chirurgicam

*videlicet, brevibus atque eruditis annotationibus illuſtrare, ut oſtenderet quám aptè, quamque diligenter antiquorum medicorum doctrinam Arcæus noſter perſequatur, quod quibusdam in Hiſpania medicis perſuaderi vix poterat, qui curationum ab illo factarum miraculis turbati, dicere ſolent vulgatam & communem curandi viam ab ipſo negligi, aliamque novam à ſe inventam muniri, cum tamen ille ſumma modeſtia profiteatur ſe obſervatiſſimis antiquorum veſtigiis inſiſtere, quæ ab imperitorum turba perturbata atque obſcurata jamdiu fuere. Unum autem illud eſt, quod Arcæum ſæpe conqueſtum audivi, peſſimè & artis dignitati & publicæ ſanitati noſtræ ætatis medicos conſuluiſſe, qui hanc nobiliſſimam*

*mam pariter atque certiſſimam medicinæ partem vel faſtidientes vel negligentes, & manuum exercendarum laborem declinantes, ad empiricos, atque adeò ad ineptiſſimos tonſores relegaverint, paſſique fuerint libros à recentioribus auctoribus de hac diſciplina conſcritos in vulgares linguas perverti, magis quàm converti. Quamobrem ille me frequenter per epiſtolas abſentem rogavit obteſtatusque eſt, ut quam religioſiſſimè poſſem, ipſius nomine principes omnes, rerum publicarum magiſtratus, academiarum præſides ac doctos & publicæ utilitatis amatores cunctos obſecrarem, ne unquam hos à ſe Latinè editos libros in vulgares linguas verti paterentur, quos ad imperitorum atque tonſo-*

*rum manus deferri ipſe minimè velit, ſed à peritis hanc artem bello ac pace utilem exerceri, vel ab ijs, qui manus exercitatas habent, peritorum præſentia judicio & conſilio expediri. Vivit adhuc hoc tempore Franciſcus Arcæus, annum agens ferè octogeſimum, eademque dexteritate utramque Medicinæ partem facit, ac ſi quadrageſimum ætatis nondum exceſſiſſet: à quo librum utiliſſimum expectamus variorum tùm inſtrumentorum, tùm medicamentorum quæ ſummo cum utilitatis fructu per ipſum excogitata ſunt. Horum autem librorum, quos nos publici commodi quo maximè tenemur ſtudio ſcribendos edendosque curabamus, doctrinam quiſquis diligenter obſervaverit, magnum, ut nobis frequenti exem-*

*plo perſuaſimus, & ſibi & hominum ſanitati procurandæ operæ precium certiſſimè faciet. Antverpiæ X. Kalend. Majas, Anno* M. D. LXXIII.

AD

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0019-3
DFG

AD

# BENEDICTUM ARIAM MONTANUM

## Theologum celeberrimum.

### Alvarus Nonnius.

SI juxta veterem Stoicorum ſententiam homines hominū cauſa ſint geniti (doctiſſime Aria) quicunque de communi hominum ſalute, magis indies, commerentur, hi proculdubio, omnium maximi ſimul, & optimi ſunt habendi. Quod quidem cùm variis diſciplinis præſtari poſſit, nulla certè plenius, quàm medendi ratione id fit, adeò ut ſtudioſos hæc ars, aut immortales reddiderit, aut æternæ conſecraverit

me-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0020-5

memoriæ. In hoc albo cum ſit Arcæus tuus, atque unus qui hanc artem colendò, exercendóq; tantum nominis ſui ſplendorem apud ſuos compararit, quantum vivus nemo: quid credis ſuæ celebritati acceſſurum, ſi quæ ipſe manibus inter rudes exercuit, calamo, ſcriptóque doctis teſtetur? Certè ſublimi (ut ille ait) feriet ſydera vertice. Quæ quidem gloria, induſtria tanta, tanta diligentia, labore & incredibili ſolertia parta, niſi per te in lucem prodeat, unà cum ſuo auctore languebit, ac oblivione peribit. evulga itaque, quæ neſcit chirurgorum vulgus, ac tam ſalutaria remedia clam apud te eſſe noli; ne tu minus in communicando promptus, quàm ille in opem

ferendo

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0021-0

ferendo alacris eſſe videare: & ne videar fruſtra abs te hoc petere, ſed optimo jure poſcere; ita equidem ſentio, vulnerum librum ita eſſe utilem, ut neceſſarium illum exiſtimem: etenim non ſolùm ea docet, quæ cum multis mendarum & errorum portentis, incultè & imperitè à Barbaris ſcripta ſunt: verum ita noſtrorum chirurgorum inſcitiam refellit, ut mortales ab illorum tyrannide (quos Galenus rectè latronibus comparat) vindicaſſe mihi videatur. Præterea aliqua diſcet noſtra ætas, quæ aut neſcivit antiquitas, aut pro deplorato reliquit; feliciter, & methodo facili curare; idque remediis à ſe multa exercitatione, & judicio comparatis, aut petitis ex,

Hip-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0022-6

Hippocratis, & Galeni fontibus.

Ordo vero quanquam ita adamuſſim obſervatus non ſit, ob aſſiduam artis actionem, & ægrorum curam; magna tamen artis complexione commendatur: nam διάλυσις eſt perpetua, qua vulnera in ſuas differentias (ut ita dicam) genericas dividuntur; ac in ſimplicia & compoſita in ſuas veluti fibras finduntur. Præſagia deinceps cujuſque propria notantur: poſtremò curandi methodus particularis ſubnectitur. Quo ſanè ordine vix alius (meo judicio) ſtatui, aut excogitari melior potuiſſet. Sequitur hoc caput; capitis vulnus: hoc enim ob pèriculi magnitudinem, & præſtantiam partis primò ſeſe

offert.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0023-2

offert. Poſt hoc, ea vulnera, quæ in utroque ventre accipiuntur, in ſupremo videlicet & imo, ita exponuntur, ut deſiderari, neque ad cognitionem periculi, neque ad ſanationem, poſſit nihil: cætera verò, quæ in aliis ab his partibus infliguntur, vel ſub ſimplici vulnere complexa ſunt, vel tanquam nimis facilia ab auctore contemnuntur, partium ſingularum affectarum temperaturam, ſitum, connexum, ſubſtantiam, figuram actionem, uſum tradit appendice quadam medica huic libro adjecta, quæ hoc habet ſingulare: ferè nullum circa vulnus ſymptoma occurrere poſſe, cujus non expedita hinc, facilisque elici curatio poſſit. Verum ad chirur-

rurgiam revertor : in qua abſolutis vulneribus, ulcera curanda proponuntur, unico duntaxat capite comprehenſa. atque hic admonendum exiſtimo, totum caput ὑπόμνημα eſſe,& veluti ex pugillaribus ad memoriæ ſubſidium de promptum : quo pacto plerique Hippocratis libri circumferuntur. Quamobrem, nec omnia definita ſunt, nec ulla eſt circumſcripta methodus, ubique verò perfecta elucet curatio Verùm hæc brevitas pulcherrima morbi Gallici curatione compenſatur : in qua illud eſt inſigne; quòd ſalſæ parrilliæ verum decoquendi modum, à nemine traditum oſtendat. Quæ quidem omnia, brevi ſcholio in ſingula capita declarata ſunt,

cæte-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0025-3

cæterùm quo inceperat, eo terminabitur epiſtola, facturum te rem tuis moribus dignam, ſi, qui vitæ ſanctitate, & ſapientia, aliis exemplo es; hac etiam liberalitate mortales adjuves.

Vale.

FRAN-

# FRANCISCI ARCÆI FRAXINALENSIS

Doctoris Medici & Chirurgi, de recta curandorum vulnerum ratione, & aliis ejus artis præceptis libri duo.

EX LONGO *atque aſſiduo curandi uſu multarum, neque tamen vulgarium rerum peritiam in utraque medicinæ parte Dei beneficio aſſecutus, & propriam, curationis artem, & præſtantiſſima quædam in utroque genere remedia publicæ utilitatis ſtudio conſcribere in animo ſtatui meo: & quorundam etiam tum morborum, tum vulnerum atque ulcerum curationem addere, quæ in antiquis medicorum libris, aut deſperata prorſus, aut deſiderata hactenus fuerant. Continent igitur libelli noſtri, præter omnia recentiorum vulnerum genera & nova etiam & antiqua ulcera, atque ea quæ vulgo fiſtulæ in pectore appellantur, quorum*

*quæ*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0027-4

*quæ in uſu eſt curatio, phthiſicas plerumque, interdum verò in hecticas febres & ægrotationes eos qui hujuſmodi patiuntur protrudit: quarum nos certam atque ſaluberrimam curandi methodum opere hoc Deo duce docebimus: idem & in altero de medicina opuſculo facturi, quod ex multorum morborum deſperata hactenus, nunc verò propoſita curatione commendabile fore ſperamus. Hæc verò curandi ratio atque hic ordo à nobis obſervabitur, ut à capite ad pedes uſque de vulnerum omnium generibus, & quis breviſſimus unicuique curandi modus, quæ remedia aptiſſima comperta fuerint, oſtendamus.*

D E

# DE VULNERIBUS IN CAPITE TAM EX inciſione quàm ex contuſione factis, quæ tamen ultra pericranium ſive almocati non penetraverint.

## Cap. I.

NEmo profectò ex auctoribus iis qui noſtra ætate curandorum vulnerum rationem docuere, aut melius aut plenius quam Joannes Vigenſis judicio noſtro ſcripſit: cujus nos & doctrinam & artem cum primis probantes, nonnulla tamen quæ brevius & certius expediri poſſint, quantum diligenti ſtudio, longo vſu, Deo id præſtante, hujus & aliorum inventis addere conabimur. Igitur vulnerum in capite ut varia ratio, ſic alia atque alia curatio eſt. Vnum namque genus eorum, eſt, quæ vel gladio vel aliis ad ſcindendum comparatis inſtrumentis fiunt. Alterum verò, eorum eſt, quæ vel fuſte, vel malleo, vel conto, aut ſaxo, aut alio denique caſu accipiuntur. quod genus in vniuerſum contuſionem dicimus. Ex his quædam majora, quædam verò minora ſunt, atque aliis alta figuris habitudinibusque notantur;

quæ tamen omnia ultra pericranium non pertingunt: atque ad hujuſmodi curanda vulnera vel tonſores vel chirurgi plerunque indocti accerſiri ſolent: quibus illud in primis commune omnibus ferè eſt, ut vulnera omnia, quæcunque in capite fiunt, magna crucis figura inciſa, adaperiant, & (ut illorum verbo utar) manifeſtent; atque cranium ipſum detegant. Deinde vulnus omne id quod ab ipſis factum eſt, intinctis ovorum albo ſtupis & lychnis conſtipent, perinde quaſi capitis os vel fractum vel inciſum fuiſſet. Hujus verò erroris cauſa eſt commune quoddam apud illos nullo certo illuſtri auctore præceptum, quo vulnera capitis univerſa manifeſtari atque aperiri oportere tradunt; ut in ſecunda curatione; an capitis os fractum inciſumve fuerit, cognoſcatur. Ex quo iſtorum errore multa iis qui ſic affecti ſunt, afferuntur incommoda. Imprimis enim curationem tardiorem ac longiorem effici neceſſe eſt. Namque ſecundum artem, curata octavo vel ad ſummum decimo die bene haberent, quamvis quantitate magna eſſent. Contrà iſti vix altero vel tertio interdum menſe curant, cujus etiam vitii Galenus Theſſalum arguebat 4. methodi. Præterea vulnus ad cranium uſque

Indocti chirurgi aliquando falſam opinionem habent.

Cum Cranium detegant.

ape-

aperientes, ægrotum ipſum in ſummum vitæ diſcrimen non raró conjiciunt: quippe non exiguam oſſis partem aëre frigido tentante corruptam extrahi hoc modo curatis neceſſe ſit: quod quidem os neque corruptum aliâs, nec inciſum fuerat. Namque eam in omni humani corporis oſſe ſuperficiei partem, quam aër attingit, corrumpi neceſſe eſt. Nec raró evenit, ut non ſuperficies modò, ſed ipſum os totum ſecundum craſſitudinem corrumpatur, ultra id, quod à circum ambiente aëre tentatum fuerat: accedit enim ad aëris incommoditatem illa digeſtivorum ac varii generis olei copia quam adhibent, cùm ab ipſis an concocta vulnera ſint, necne, prorſus ignoretur. Quam quidem ob rem nos ut tantæ prolixitati totque incommodis occurramus, curandi rationem doctiſſimis antiquorum & noſtri temporis Chirurgis probatam ſubjungemus: addito medicamento quodam à nemine hactenus tradito, cujus admirabilem efficaciam experiri cuilibet licebit. Atque primum quidem omnium de vulneribus ſimplicibus quæ ſcindentibus fieri ſolent inſtrumentis, ut gladio, pugione, & ſimilibus: deinde de altero genere diſſeremus.

Igitur an capitis os fractum, an inci-

ſum ſit, ut non incerta coniectura dignoſcamus, is qui vulnus habet, imprimis rogandus eſt, quonam inſtrumento ſit vulneratus; num ſimul ut acceperit, in terram corruerit, an mente fuerit commotus. Quod ſi ad cranium vulnus non pertinuerit, tonſis primùm circumiacentibus capillis, caro carni, cutis cuti, quàm fieri poſſit aptiſſimè, committenda eſt.

Id ſi citra acus uſum fieri poſſit, fuerit profectò commodiſſimum. Quod ſi longitudine magnum vulnus fuerit, aut acu uti oportebit. aut filo tantum longiori vulnus eſt alligandum, modò id loci ac ſitus commoditas admittat, idque fiet vulneris ipſius labris aptiſſimè conjunctis. Atque hæc profectò alligandi forma in omni vulnerum generè, ubi commodè exerceri poſſit, mihi vehementer probatur.

Namque diductæ carnis labra & partes hoc modo melius cohærent. Hoc ubi expeditum fuerit, ſi vulnus grandiuſculum ſit . in partem illius inferiorem flammula *ex tenui lino* ovi albo intincta inferatur inſtrumento illo quod tenta vulgo dicitur, additis ſuper vulnus lineis peciis duplicibus ovi albo ſimiliter intinctis, deinde vulnus non plurimis fotum pannis alligetur, atque ita uſque ad ſequen-

ſequentem diem ſinatur. Neque verò in tertium diem, ut mendosè à nonnullis fit, curationem differri tutum eſt. In ſecunda verò curatione neque digeſtivis ullis, neque roſaceo opus eſt, qualia vulgo in uſu eſſe ſolent: magis enim nocuiſſe quàm profuiſſe, diuturna ac certa obſervatione nobis eſt compertum. Neque verò ad hoc ſolùm, ſed ad omnia etiam genera hujuſmodi digeſtivorum uſum ſupervacaneum exiſtimamus. Erit autem hæc certa curatio. Paretur petia ex emplaſtro illo quod à Vigone in antidotario deſcriptum eſt, hoc modo: Hoc item præcipit Hippocrates lib. de articulis potiſſimum ubi inflammatio timetur. lege lib. de officina medici.

De Certa vulnerum curatione.

℞. *Olei roſati omphacini & completi ana.* ℥ ij,
*olei maſtichini, olei myrtini ana* ℥ j.
*pinguedinis hircinæ* ℥ j. ß.
*ſucci Bethonicæ* ℥ j.
*Bulliant omnia ſimul uſque ad conſumptionem ſuccorum, deinde colentur: & colaturæ addatur,*
*maſticis* ʒ x. *gummi elemij* ʒ vj.
*terebinthinæ* ℥ ij. ß.

*Ceræ albæ quantum ſufficiat: iterum ad ignem bulliant parum & fiat cerotum in bona forma.*

Simul etiam cum hoc maximus uſus erit *linimenti cujuſdam* à nobis inventi, cujus ea vis eſt, ut concoquat, digerat, mundificet, atque carnem etiam induca

Nota quod dupliciter fit hoc linimentum, aliquando cum emplaſtro de gummi elemii, aliquando cum gummi elemii.

Linementum inducantia Carnem.

cat, cujus certiſſimi in omni periculo faciendo uſus, nunquam me pænituit: & cui omnes ij quicunque fuerint experti, balſami nomen non immeritò fecerint. Ejus autem illa deſcriptio eſt.

℞. *Terebinthinæ claræ & emplaſtri de gummi elemii ana* ℥ j. ß,
*Pinguedinis caſtrati* ℥ ij.
*pinguedis porcinæ antiquæ* ℥ j.
*Liquefiant ad ignem, & fiat linimentum.*

Hoc linimento, quoties uſus erit, ad ignem liquefacto, gallinaceæ plumæ extremo vulnus leviter inungitur: deinde Cerotum, cujus jam nobis facta mentio eſt, toti vulneri ſine ullis lineis filis eſt imponendum. Igitur ſequenti die confecti, & ſatis commodè concocti puris copiam invenies. Quod ſi poſt primos dies largior puris copia fuerit, bis ſingulis diebus vulnus curari oportuerit. Neque verò linimenti hujus vis ſatis laudari poteſt. Nam præterquàm quòd commodiſſimum pus conficit, membrum ipſum ultra id quod naturæ ac medicinæ ratio poſtulat, vel inflammari vel apoſtema admittere non ſinit: neque etiam locum aliis ex partibus hiare aut aperiri patitur; quod ſæpe in minoribus etiam vulneribus accidit: ejuſmodi autem accidentia difficilius plerunque quàm vulnus ipſum curantur: adde etiam quòd hujus medica-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0034-3

dicamenti virtute minimum dolorem ægroti ſentiunt; & curatio multo maturius & commodius perficitur quàm ſi aliis qui deſcripti ſunt modis paretur.

Quæ verò vulnera, vel ſaxo, vel fuſte, vel caſu facta fuerint, neque tamen in oſſe læſionem habere videantur, hoc modo curabimus.

Primum aqua vitæ laventur, aut vino ex myrrha, thure vel ſarcocolla decocto, quatenus hoc modo immunditia omnis abſtergatur, quæ ex ſaxo aut pulvere aut temerè affuſo & concreto ſanguine fuerat contracta. Confert etiam eadem lotio ad carnem citiùs inducendam. Hoc itaque modo loti vulneris labra, quemadmodum ſuperius diximus, ſunt conjungenda: quæ ſi diducta adeò videantur ut conjunctioni reſiſtant, pulvinis triangularibus vel quadratis iiſdem ovi albo intinctis utendum eſt: additis lineis peciis, quales antea deſcripſimus, cùm de vulneribus gladio factis diceremus. Quod ſi neque hoc modo conjungi vulneris partes patiuntur, acu filoque uti expediet, & vulnus ipſum conſuere, orificio inferius relicto, quà excrementa (ſi vulnus magnum fuerit) purgentur. Poſtera deinde die curatio eodem modo ineatur, quo in vulneribus inciſione factis iniri oportere docuimus; labris

videlicet balſamo illo noſtro leviter inunctis, atque emplaſtri pecia ſuperpoſita: Namque his duobus remediis vulnera omnino uſque ad cicatricis obductionem curantur.

Grandioribus verò vulneribus opportunè, ut diximus, conſutis locus in inferiori parte apertus eſt relinquendus, quò tenuis è lino flammula inferatur: eam autem flammulam balſamo noſtro intinctam in ſecunda & in cæteris deinceps curationibus adhiberi oportet: emplaſtrum verò quod impoſitum fuerit, bis per ſingulos dies abſtergendum eſt. Porrò cùm vulnus probè digeſtum eſſe cognoſcetur; cognoſcetur autem non ex pure, ſed ex ſanie bona jam ex orificio manante; flammula opus non erit, ſed ceroto ſive emplaſtro ſæpius abſterſo.

In quibus autem contuſionibus nullum vulnus præter tumorem vel carnis mollitudinem fuerit deprehenſum, nec ulla rupti oſſis ſuſpicio acceſſerit (id autem ex commemoratis jam ſignis & diligentis chirurgi judicio eſt petendum) curationem hoc modo fieri expediet, *albo ovi vehementer agitato olei myrtini unciam, & myrtini pulveris ℥ item unam addito*, atque hæc optimè ſimul agitata in linea ſtupa quam prius aceto, & aqua æquali portione intinxeris, manu-

In contuſione valet.

nuque compreſſeris, extendito hanc ſtupam, cum his fomentis loco affecto imponito, & poſtera die ex divino beneficio bene habebit: quod ſi nondum omnino ſanatum eſſe judicaveris, idem remedium iterum repetito, quod bis impoſitum quantumvis magnam contuſionem curabit.

## ANNOTATIO.

Igitur vulnerum in capite] *Cum multæ ſint eorum vulnerum quæ in capite infliguntur, rationes ſive indicationes; ut quæ à loco particulari capitis ſumuntur, & quæ ab adjunctis colliguntur ſymptomatis dolore, intemperie, phlegmone (ut tertio methodi medendi Galenus tradit) quæ ab* προηγουμένοις, *ſive antecedentibus capiuntur, obviæ ſunt maximè, & in curatione ſunt primæ. tales proponuntur ab auctore; dum quæ telo fiunt vulnera, primo diviſit: quæ certè telorum conſideratio, tanti apud* Hippocratem *ſit, ut noxas inde metiatur, & æſtimet. Dixit enim ea vulnera quæ gladio, vel acuto telo fiunt, aut ſolùm carnem denudare; aut ita os findere, ut noxa & vulneris ſedes idem plerumque ſint: magis tela orbicularia gravia, teretia, obtuſa, os deprimere, findere, collidere; unde in his ſollicitum de rima vult, in iis non niſi rarò.*

Namque ſecundum artem ] *Nec mirum, ſimplicia enim vulnera curanda proponuntur; quæ eò citiùs coaleſcere debent, quò magis ſiccum eſt caput, & aliorum membrorum minùs redundantias in ſe recipit.*

Accedit illa digeſtivorum copia ] *Quanta detrimenta his oleorum generibus accipiant ægri, dici non poteſt: nam bonam carnem putridam reddunt, curationem producunt, & in varia diſcrimina ægros perducunt; etenim madefacientia non modò ulceribus capitis, ſed in aliis omnibus vitanda ſunt, quum non prius quàm ſicceſcant vulnera, ad ſanitatem perducuntur, ut ſcripſit Hippocrates lib.* περὶ ἑλκῶν.

Igitur an os fractum ſit ] *Hæc apud Hippocratem leguntur copiosè lib.* περὶ τρωμάτων, *& Galenum ſexto Therapuetices, Æginetam, & Celſum lib. vj. ad quos lectorem remitto.*

Quod ſi ] *Si vulnus acceptum ad tantam magnitudinem percuſſim, cæſimve inflictum eſt, ut ſola deligatura oræ ipſius nec committi, nec adduci poſſint, ſutura, aut fibulis (quas* ἀγκτῆρας *vocant) eas ipſas oras adducendas præcipit Galenus tertio methodi.*

Ex tenui lino albo ovi ] *Vſus communis obtinuit, ut recentibus hujuſmodi vulneribus ovi candidum aliquandiu agitatum ex levi ſtupa exceptum admoveatur, nec ab re, cùm ſanguinis profluvium ſupprimat, dolo-*

*rem ſedet, refrigeret, & phlegmonas fieri prohibeat, ut eſt auctor Galenus lib.* 11. *de Simpl. medicam. facultatibus.*

In ſecunda curatione ] *Roſaceo opus non eſt, quia ſine alio ſymptomate, ſimplex eſt unitatis ſolutio: ubi tamen aut dolor aut inflammatio timetur, adhiberi ſolet, ut lib.* 4. *Paulus ait, & Galenus ſecundo* κτ̀ τόπȣς, *roſam, & roſaceum approbat.*

Omnia genera ] *Videlicet ovi vitellum, therebintinam & roſaceum: de ultimo diximus: Vitellus ulcus diutinum & ſordidum reddit: reſina nónne ab Hippocrate (in libro de articulis) ubi ulcus eſt, expellitur? Præterea univerſa hæc miſcella emplaſtica Galeno eſt, quæ omnis putrefaciendi, laxandi, & pus movendi vim habet.*

Lenimenti cujuſdam ] *Lenimentum ab auctore inuentum eſt egregium, atqui in eo vulnere maximè, quod aut cum contuſione, dolore, inflammatione fuerit conjunctum; etenim dolorem ſedat ſuillus adeps, & quia vetuſtate rancidus fit; ea ratione abſtergendi inſignem vim habet.*

Primum aqua vitæ ] *Ita Arnoldus cruenta & recentia vulnera aqua vitæ abluta celerrimè ad ſanitatem perducit.*

Curationem hoc modo ] *Plures ſunt in contuſione indicationes ſervandæ (ut Galenus ait* 14. *methodi medendi) inter has potiſſima, dolorem ſedare, & parti læſæ, ne*

*fluxionem recipiat, robur adferre, unde obſervatum eſt communi uſu, ovi album cum myrtillis adhibere. ita Lanfrancus, & Razis, verùm roſaceo primo perfundunt.*

## DE CONTUSIONE cum fractura oſſis, ſine apparente vulnere.

### Cap II.

SI nullo vulnere apparente cranium læſum ſubeſſe judicetur (id verò judicium, ex hominis caſu & mentis motione & conſequenti vomitione ſumitur) addita interdum oculorum caligine; ſumitur etiam judicium ex notatione fuſtis vel ſaxi, quo petitus homo eſt, ex loci, unde inſtrumentum emiſſum fuerit, diſtantia, ex viribus, animi ira, atque impulſu ejus qui percuſſerit. Nam qui ira percitus, & nullo metu retardatus, adverſarium ferit, majores multo atque validiores vires adhibet.

His igitur atque ſimilibus animadverſionibus an cranium læſum fuerit. facilè judicatur: id quod non obſcurè Avicenna docet, fen 5. tractatu 3. & primo de fractura cranii. Multoties, inquit accidit ut findatur cranium, & non findatur cutis, imò apoſtemetur & tumefiat caro, & cutis quæ eſt ſuper cranium. Atque illud

illud quidem hujus à me facti judicii exemplum non incommodè ſuccurrit.

Ex duobus rixantibus hominibus alter ab altero percuſſus eſt ſaxo: is verò qui accepit, galea caput armaverat, qui tamen graviſſimo turbatus ictu protinus in terram corruit: ſtatim autem dum ab accurrentibus ſuſtollitur evomuit. His ego conjecturis, & galeæ aliquantulum compreſſæ contemplatione, oſſis rupturam ſubeſſe judicavi: loco igitur aperto, contuſionem ipſam vulnere facto formavi. Poſtera verò die cranium eo inſtrumento, quod à Græcis abaptiſton, nobis trepanum dicitur, terebravi, quanquam vix capillaris & ſubtiliſſima rimula in oſſe oſtenderetur. Offendi autem ſatis magnam concreti ac teterrimi cruoris copiam, quæ in duram matrem defluxerat: eo igitur modo atque ordine, quem ſequenti capite ſubjungemus, curatus brevi ſanatus eſt, nullo gravi ſymptomate invadente.

## ANNOTATIO.

*Magna eſt inter doctiſſimos chirurgos quæſtio an ſi integra cute calvaria perfringatur, os ſcindi debeat & membrana patere. Celſi, & Pauli opinio ſcindendum eſſe os, ut admonet auctor: tamen alia videtur eſſe Hippocra-*

*tis libro περὶ τετρωμάτων, quam Iacobus Peruſinus è natura petitis argumentis comfirmat: vide Vidium Vidum Florentinum Commentario in eundem librum.*

# DE FRACTURA Cranii.

## Cap. III.

SÆpe ab indoctis atque inexpertis chirurgis in capitalis oſſis ruptura ob artis ignorationem, atque ob judicii defectum, non ſine graviſſimo periculo peccatur: dum nihil ab iſtis de oſſium ruptura cogitatur; & , an in cerebri telis, membranis & articulis quicquam læſum aut punctum fuerit; diſquirere negligitur. Solent namque inferioris oſſis(quam vitream tabulam vocant)partes non rarò diſcindi, diſcuti, atque etiam diſijci, ac diſſipari: id autem vitium ſæpius etiam in inferiori quàm in ſuperiori tabula factum eſſe deprehenditur: quam quidem rem graviſſima imprimis ſymptomata, deinde verò mors ipſa conſequitur. At verò non rari ſunt, quibus leviſſimum eſt, ubi nulla fractura, nec fracturæ quidem ſuſpitio ulla cogit, caput ipſum inciſione aperire:ubi verò certam rupturam ſuſpicari meritò poſſis, nihil omnino aperiunt. His autem rebus

artis ignoratio, & intelligendi negligentia, & laboris ac ſtudii in rebus cogitandis fuga in cauſa eſt. Adde his animi ſuperbiam, & cupiditatem: nam congerendis nummis impens è nimium ſtudentes, doctioribus parere curantibus, & periculum facientibus adeſſe dedignantur. Ex ea adeò re evenit, ut probatorum medicorum atque chirurgorum copia, multis in locis regionum noſtrarum, ab hinc quadraginta annis, atque eo amplius deſideretur. Nam quanquam multis theoricæ atque artis cognitionem in utroque medicinæ genere tribuamus; accidit tamen, ut cum ab initio expertiſſimis in praxi ipſa non aſſueverint, cum optima ſcientia obſcura conjungatur experientia: quòd jam pridem, hujus artis uſus, atque operatio, ad empiricos & tonſores redacta ſit: qui vel nihil aliud norunt, quàm quod à ſuis ejuſdem farinæ magiſtris didicerunt: vel, quod miſerrimum eſt, ſuam quiſque libidinem, ſuum privatum errorem, nullo, neque indocto etiam, auctore ſequuntur, Hinc etiam fit, ut ſi gravis aliqua & magni momenti curatio contingat, tametſi nonnihil jam illis cognitionis vel ex temporis longitudine, vel ex ingenii felicitate, vel alia ratione ſibi pepererint; tamen inſtrumentorum aut inven-

inventorum, aut inveniendorum uſu, quibus ea res effici poſſit, careant: cum nulla talia ipſis vel videre, vel cogitare unquam contigerit. Si quæ verò illis fortè ſint, neque ea norunt, neque iiſdem uti didicerunt: id quod frequenti periculo deprehendimus. Quotus enim quiſque in hac citeriori Hiſpania eſt, cui abaptiſti (ſive terebellum ſive trepanum vocare malis) uſus notus ſit, imò iſtis plerumque terebrandi officium, ut periculoſiſſimum, & lætale omnino damnatur, aſſerentibus fieri non poſſe, dum trepano utaris, quin eæ, quæ cerebrum circumſtant, membranæ, omnino vitientur, & multa præterea alia in erroris ſui defenſionem jactantibus. Atque una cauſa eſt, quæ me, ut opus hoc aggrederer, compulerit: ut nonnulla vulgo difficillimæ curationis habita exprimerem, non quod magnam aliquam ipſe mihi ſcientiam arrogem, ſed quòd longitudine temporis, exercitatione, atque multo uſu, mediocri eruditione, & aſſidua lectione adhibita, plurimos, multis in locis, divino auxilio fretus, curaverim, & multorum etiam medicorum, & chirurgorum variis & frequentibus affuerim curationibus. Docebimus autem eos quorum id ſcire intererit, quis agendi modus in capite curando ſit, quis vario-

variorum inſtrumentorum uſus, trepanorum videlicet, atque eductoriorum & eorum quæ levatoria vocantur, ac multorum præterea quæ à me inventa excogitataque ſunt. Interdum etiam curationes referre minimè pigebit, quæ à me dextro numine feliciter peractæ hactenus fuere, & quotidie etiam peraguntur, non ſolùm in capite, ſed in pectore etiam, in ventre atque inteſtinis. Sed nunc porrò ad cranii rupturam, unde digreſſi ſumus, jam redeamus. Hæc ubi ex ſignis (ut jam diximus) cognita fuerit, cum vulnere ex arte facto locus etiam fuerit apertus, rimulam oſtendet manifeſtam. Majorem autem rupturam interius, quàm exterius, ſubeſſe is facilè dijudicabit, qui lapidis ictu percuſſam teſtam plus vitii in concava quàm in convexa ſui parte feciſſe viderit.

Vide Soranum qui de vulneribus capitis etiam ſcripſit.

Sed & ſi nihil omnino ruptum intus foret, tamen aliquam partem fuiſſe commotam, non eſt negandum: eam verò commotionem venæ alicujus ruptio ſecuta eſt, ex qua effuſus atque concretus cruor in tabem & pus corrumpitur: cui cùm ad purgandum, evaporandumque, nullus pateat locus, fit ut quæ circa cerebrum fuerint pelliculæ, & membranulæ, deinde & cerebrum etiam ipſum, inflammentur & corrumpantur.

Paulus lib. 6.

Atque hujus quidem rei manifeſta paulò pòſt ſigna apparent, quæ cùm apparuerint, actum profecto de homine ipſo eſt, Præterea etiam fieri poteſt, ut quanquam venæ non rumpantur, ex vehementi tamen concuſſione, ex ictu, ex dolore etiam accepto, plurimus intra venas ipſas evocetur ſanguis, & loci propterea inflammatio itidem & corruptio conſequatur.

Vide Hippo. lib. proprio.

His igitur omnibus periculis nulla re commodius quàm trepano curetur. Namque ubi cranium terebello apertum eſt, & membranæ conſpici poſſunt, quanquam inflammatus corruptuſque locus ſit, tamen curari plerunque, & ſanari contigit: & cruor ille ex oſſis vitio, vel concuſſione, concretus conſpicitur, & abſtergitur.

Igitur illud in hoc eventu primum omnium curandum eſt, ut vulnus aperiatur, apeturque locus, atque ſtupis ovi albo maceratis conſtipetur, deinde verò ligetur.

A ſequenti verò die, ad ſeptimam uſque hujuſmodi ſirupus ægroto mane propinabitur, cujus uſus opportunæ purgationis officium præſtabit. Alias nanque purgationes vehementer nocere hoc modo affectis comperimus.

℞. *Sirupi roſati* ℥ *ij.*

*aquæ*

*aquæ plantag.* ℥ *iij. miſceto.*

Tandiu autem exquiſita diæta uti oportuerit, quoad carnibus jam indigere cognóſcatur.

Sequenti verò die, hoc eſt primæ curationi proximo, ſecunda curatio balſami noſtri illitu & emplaſtro de gummi elemii impoſitione peragenda eſt, loco demum probè colligato.

Tertio autem die terebello ad aperiendum uti oportuerit, cujus inſtrumenti ratio, & uſus à nobis ſuo loco docebitur, ſed cranium ipſum, ab inferiori vulneris parte, trepano aperiendum eſt; ſtatim autem ubi apertum fuerit, os cochleari illo, quod in theca chirurgica eſt, oleum roſatum, & muliebre lac, cum roſaceo melle, æqua ſingulorum portione, ad candelæ flammam calefactum conjicito: quantitas tamen ipſa cochlearis menſuram non excedat. Hoc ubi expeditum fuerit, rotundam bombycini rubri (Hiſpani ſandalum vocant) portiunculam, inter os ipſum & cerebri membranulas indito, quo membranæ pulſando, nihil à rupto lædantur oſſe. Foramen autem filis lineis in circulum confirmatis occludito, cranium deinde, ex liquefacto balſamo noſtro, pluma leviter inungito: totum poſtremò vulnus, ubi inunctum fuerit, filis

non

non nimium compreſſis oppleto, & emplaſtro de gummi elemii, aut de minio ſuperpoſito, curationem abſolvito. Hoc profectò modo curatis, poſtera die pus optimè & commodiſſimè coactum, atque confectum conſpicitur: quamobrem arbitror non oportere digeſtiva illa, neque his, neque aliis ullis vulneribus adhibere, quæ vulgo ex ovi vitello, oleo roſaceo, terebinthina conſtant: neque caput ipſum oleo roſaceo inungere, ſed nec membrum ullum aliud vulneratum, namque hoc balſamo noſtro optimum pus citiſſimè conficitur: nec locus inflammatur. Atque facilè teſtari poſſum, me diu hoc, quem deſcripſi, curationis modo uſum, nunquam neque in maximis vulneribus pænituiſſe: ſive membrana fuerit corrupta, ſive cerebrum ipſum fuerit comminutum, & cerebri pars aliqua pereat, & quantum ego judico, eorum digeſtivorum, atque inunctionum uſus, in cauſa eſſe ſolet, ut vulnerum curationes ad alterum, atque ad tertium uſque menſem proferantur: corrumpuntur enim, atque putreſcunt pluſquam ſatis eſt, vulnera, & complexio deterior fit, membrúmque ipſum debilitatur, quod contrà omnino contingit, ſi eo modo quo diximus curentur.

Nam

Nam & ſanitatis tempus rarò menſem excedit: oſſa autem ſi quæ extrahenda ſunt, vigeſimo quinto die aut ante remittuntur pro fracturæ ratione. Nam ex majori fractura, citius eruuntur.

## ANNOTATIO.

*Cranii fractura, eſt diviſio calvariæ: quarum ſunt hæ differentiæ, fiſſura, exciſio, expreſſio, depreſſio, in infantib. contuſio, & (ut Galenus addit) cameratio. Hæc fractura ſi manifeſta eſt, eo uſque ſcalpello explorari debet, donec fugiat rima noſtrum oculum: atqui nec ita contenti eſſe debemus; ſi Hippocrati creditur: verùm atramento tingenda calvaria eſt, atque id ſequenti die eſt radendum: ut videre eſt apud eundem. nobis enim propoſitum non eſt, univerſa, quæ ad hanc rem faciunt, tradere: ſed quo quæque loco ſint promenda indicare.*

Etſi nihil omnino ruptum fuerit] *Neſcio qua ratione id deprehendimus Antverpiæ hoc anno, ut quamplurimi citra calvariæ læſionem, ex cerebri, ſeu menyngum concuſſione (effluente è venis ſanguine) obierint. Quod malum eò magis fuit capitale, & funeſtum; quô minus illi qui ſic affecti erant, in ſolita ſymptomata incurrerent: nam quum ſeptimo aut ad ſummum decimoquarto die ſymptomatibus ab Hippocrate deſcriptis*

hæc

*hæc ſe noxa manifeſtet, hi illis diebus bene valere, non febrire, non vomere cœperunt: decimoſeptimo, aut vigeſimo, &, quod magis eſt mirandum, quinto & vigiſimo, hæc ſeſe oſtenderunt: mortuique ſunt omnes.* De hac re Celſum vide, & Ioannem de Vigo *proprio capite.*

Illud igitur] *Chirurgiam ita aggredimur: pilos præradimus: ad ipſum vulnus duas ſectiones facimus, quæ ad rectos angulos ſeſe ſecant. Paulus ad ſimilitudinem X. Græcæ literæ faciendum admonuit.*

Stupis ovi albo maceratis] *Paulus Ægineta poſam exhibet, & vinum cum roſaceo apponit.*

Jam diu exquiſita diæta] *Victu inquam inflammationem arcente, quem veteres febrilem apellant.*

Tertia die] *Hippocrates monet, ne ad tertium diem differatur, præſertim aëris conſtitutione calida, & Galenus in ſecundo de Officina medici, ſequenti die id fieri vult, niſi aliquod novum ſymptoma superveniat.*

Statim ubi apertum eſt os] *Meritò* ſtatim *dixit: nam membrana quàm celerrimé purganda & ſiccanda eſt: ne ſi madens ſit, hebes fiat, & attollatur: quæ cùm ita accidunt, periculum eſt ne putreſcat.*

Oleum roſaceum] *Conſtat Galenum patefacta membrana, non modò inflammatione urgente, ſed etiam doloris cauſa, le-*

*nien-*

*nientibus uti, libro ſecundo* κατὰ τόπȣς, *ubi animadverſione dignum puto, quòd ſanguinem columbinum calidum, ex ala detractum, ſupra cerebri membranam induci probet, Apollonium ſecutus.*

## DE USU TEREBRÆ, Sive anabaptiſti.

### CAP III.

Tertio die poſtquam vulnus factum eſt, terebræ officio uti oportebit, eſt namque duplex terebræ genus, alterum maſculum, fœminam alterum vocant Græcis ἀβάπτιςον dictum. principio igitur, mas ſuper cranio collocandus eſt, ſecundum infimam vulneris partem, dum modò, nullam commiſſuram attingat, hunc ad perpendiculum ſemper conſtitutum rotare eouſque oportet, quoad in oſſe tantum penetrarit, quanta eſt ejus nummi argentei craſſitudo, quam Hiſpani *Real de à quatro* dicunt, nonnihil etiam amplius. Eſt autem terebræ mari anceps ligula, in medio quam neſpulam vocant, quæ fabrilis taladri modo penetret. atque hæc centrum format in oſſe: terebræ autem circumferentia circulum in oſſe deſcribit. Fœminæ terebræ nihil in medio eſt, ejus tamen circum-

circumferentiam, mari omnino æqualem eſſe oportet; hunc etiam ad perpendiculum collocatum circumvolvimus, leniterque agitamus, donec ſuperior oſſis tabula perſcindatur, interim autem, cùm opus eſſe viſum fuerit, ramente abſtergenda ſunt. Eodem modo in inferiorem tabulam accuratè agere conveniet, ſed antequam omnino terebra penetret, verſus aliquam deſcripti circuli partem ſiniſtra manus terebram continens, eſt inclinanda, ut ex ea parte totum ſcindatur os, ex altera verò parte nihil ulterius penetret, tunc ex theca inſtrumentum, quod commodius videbitur, eſt adhibendum, quo totus ille circulus, qui deſcriptus abſciſſusque fuerit, extrahatur, nullo in pelliculis omnino nocumento.

Poſt hoc lenticulare illud ferrum, candelæ flamma nonnihil calefactum, ex illo orificio aſperas oſſium particulas circumradimus, ne dum pulſatione naturali dura mater movetur, illis aſperitatibus quicquam lædatur. Curetur autem locus ſandalo, & balſami liquore, ut jam docuimus.

Cùm verò aut fractura ipſa, aut contuſio in oſſibus magna fuerit, ita ut cranium compreſſum ſit, trepano uti nihil opus erit, ſed oſſa ipſa in ſuam pri-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0052-3

priſtinam conſtitutionem, ſunt reducenda. Complures enim ego hoc modo affectos, à chirurgis terebro, & levatoriis dictis, curatos malè habuiſſe vidi: cùm enim ea operatio, ſine magna oſſium depreſſione fieri minimè poſſit, fit ut pelliculæ facilè rumpantur, & cerebrum etiam comminuatur. adde quòd cùm ab iſtis oſſa non eruuntur, ſed donec ipſa, ſponte ſua emittantur, putreſcere ſinuntur, in lethale diſcrimen ægroti conjiciuntur. Reducenda ergo ſunt in locum proprium oſſa, quàm fieri poſſit commodiſſimè, & ex iis pars aliqua, ut orificium fiat, eruenda eſt, ne pelliculæ compreſſis oſſibus lædantur, & ne qua interiora curentur, apertio deſit. Nec verò oſſa fracta omnia ſtatim eruere oportet, nocet enim tantum in pelliculis ſpacium apertum, atque patens eſſe, aëre nanque circunvago læduntur.

Eſt autem diligenter conſiderandum, perſpiciendumque, an inferioris tabulæ portio, aliqua aut rupta, aut compreſſa, aut ſuper duram matrem (quam vocant) incumbens, lateat; namque plerumque majorem portionem inferius, quàm ſuperius, commoveri, ac rumpi, ut in teſtis ruptis, accidere jam ſæpiſſimè conſpeximus. Nec raro mihi accidit, ut majorem oſſis portionem, interius com-

motam, deprehenderim, quam ut ex orificio poſſem eruere: quod ubi contigit, os ipſum inſtrumentis leniter rumpere, & in plures particulas diviſum, eruere conſuevi. Et quoniam inſtrumentorum magnus eſt uſus, cujuſmodi ego utar inſtrumentis, pictura in fine libri addita, docebo, Perſpiciendum itaque fuerit, an oſſis portionem aliquam erui oporteat, quam niſi erueris, pelliculas ipſas compreſſas continua pulſatione læſas rumpi neceſſe eſt: cognoſcitur autem hoc facilè, ſi quis diligenter inſpiciat. Nam pelliculæ ipſæ compreſſiores, atque à cranio pluſquam par eſt diſtantes, apparent. Ergo oſſibus in locum ſuum reductis, & partibus iis, quas erui oportuit, erutis, ſi qua aſperitas reliqua ſit, ad quam dura mater continua ſua pulſatione offendat, eam aſperitatem lenticulari ferro abradi conveniet. Poſtera, autem die, poſtquam oſſa correcta, atque eruta fuerint, ſi duræ matris color niger eſſe videbitur, pro lacte, oleo, & melle roſaceo, de quibus ſuperius diximus, tantum roſaceo melle cochleare illud chirurgicum plenum, atque ad candelæ lumen calefactum, iniicito, atque cendalum, inter duram matrem, & cranium, inſinuato: prodeſt enim hoc, & ut materies omnis quæ corrumpi poſ-
ſet,

ſet, melius expurgetur, & ut pulſatione ſua nihil dura mater lædatur. Atque hoc roſato melle facillime dura mater mundior efficitur: ſi ex contuſione nigrior fortè, atque impurior facta erat. Cùm verò nigredo illa in meliorem colorem conuerti jam cœperit, pro roſato melle, ad reſtituendas pelliculas, hoc linimento uteris, quod duobus à Joanne Vigone deſcriptis, præſtantius atque præſentius eſſe, frequenti experimento intellexi. ℞. *ſirupi roſati ex infuſione* ℥ j. ß.

*florum & foliorum hypericonis, florum roſmarini, granæ ana parum, terebinthinæ vini odoriferi* ℥ ij.

*Olei omphacini quartam unam, croci parum: bulliant uſque ad conſumptionem vini, deinde colentur.* Addimus oleum illud omphacinum, & ad liquoris præſtantiam, & ad dolorem ſedandum; tametſi auctor ipſe hujuſmodi oleum prætermiſerit, tamen nos ut non prætermittendum commendamus, crocum etiam nos floribus dum coquuntur, ſubtiliter addimus. Solent autem ante decimum quartum diem hoc linimento membranæ omnes pleniſſimè reſtitui.

In univerſali autem vulneris curatione, balſamo illo noſtro procedendum eſt, quo ad vulneri neceſſaria accreverit caro, & oſſa omnia quæ erui oportuerit,

fuerint jam eruta. eruuntur verò ante vigeſimum quintum diem, quo tempore tendanda illa erunt; nam facilè ferro levatorio cedunt, ſi ſenſim trahas. Hoc balſamum, præterquam quòd optimum pus conficit, & non nimium, illud etiam in exteriores vulneris partes commodiſſimè expellit, neque plus intra vulnus relinquit, quàm quod ad vulneris coctionem, & curationem commodum eſt. ruborem etiam aptiſſimum carni addit, & cranium opportunè humectat. Atque hoc modo vulnera curanda ſunt, ſemel quidem ſingulis diebus, donec oſſa omnia ſint eruta; quibus jam erutis, licebit ægroto, è lecto ſurgere, qui jam deinceps ſingulis diebus bis eſt curandus. Balſami autem hujus digeſtivi noſtri hujuſmodi deſcriptio eſt.

℞. *Gummi elemii, & terebinthinæ abietinæ quam vulgo de abiete vocant, ana ℥ i. ß. ſepi caſtrati antiqui, & liquefacti ℥ ij. pinguedinis porcinæ antiquæ liquefactæ ℥ j. miſce, & ad ignem linimento facito.*

Hujus balſami ſemuncia quantumvis magnum vulnus curari poterit. Uſus autem eſt hujuſmodi vulnere abſterſo, atque iis rebus, quas jam præſcripſimus, ſuper pelliculas impoſitis balſamum vaſe aliquo, ad ignem liquabis, ita ut non nimium calefiat, ne ſcilicet calore nimio

mio ægrotum lædat, ex eo quòd liquatum fuerit, pluma gallinacea, vulneris partes omnes, & labia atque ipſum etiam capitis os, leviter inungito. Satis enim eſt id leviter fieri, ubi inunxeris, vulnus lichinis ſiccis opplete. Super hæc autem linum cum emplaſtro ponito, quod emplaſtrum gummi elemii dicitur: cujus deſcriptionem apud conciliatorem invenire licet, differentia centeſima prima. Namque hoc emplaſtri genus vulneribus capitis ſanandis accommodatiſſimum eſſe longo uſu comperi. Ejus autem hæc deſcriptio eſt.

℞. *Gummi elemii* ℥ *iij.*
*reſinæ pineæ puriſſimæ, armoniaci, gummi hederacei ceræ ana* ℥ *ij.*
*terebinthinæ* ℥ *iij.* ß.
*olei roſacei* ℥ *j.* ß.

*bulliant omnia ſimul præter armoniacum, cum cyatho uno, & dimidio vini odorati, uſque ad conſumptionem vini. ultimo loco addatur armoniacum diſſolutum, cum aceto & gummi hederæ pulverizato, & malaxentur cum vino & aqua vitæ, & fiat emplaſtrum.* Non minoris etiam uſus emplaſtrum illud eſſe frequenti experimento intellexi, cujus deſcriptionem ex Joanne Vigone petas licet, in capite de fractura cranij cui ille nomen fecit Emplaſtrum ex betonica. Utiliſſimum pariter ad hanc

eandem rem illud eſt, quod Acelinus Januenſis Barchinonenſibus chirurgis tradidit, cujus hæc deſcriptio eſt.

℞. *Terebinthinæ claræ* ℔ j. ß.
*ceræ albæ* ℥ 5,
*reſinæ pini* ℥ vj. ß.

*Conficiantur ſimul, & fiat emplaſtrum*, quod malaxetur cum aceto albo, in quo infuſum ſit emplaſtrum hoc à nobis deſcriptum. Infundi autem oportebit per ſex dies in prædicto aceto, ita ut omnino immergatur, & cum ſucci betonicæ partibus duabus & verbenæ parte una; malaxentur omnia, & maceretur iterum per ſex alteros dies in ſuccis prædictis:poſthæc malaxetur cum lacte mulieris: redigaturque in formas magdalionum nullius major eſt uſus apud Celtiberos omnes quàm hujus emplaſtri, cujus me etiam nunquam pænituit.

Igitur cùm pelliculæ reſtitutæ jam fuerint, illius quem deſcripſimus, liquoris uſus nihil eo opus de cætero erit, ſed pelliculæ ipſæ, atque adeò totum vulnus pluma ex balſamo intincta leviter eſt inungendum, donec totum os carne obductum, obtectumque ſit (namque hujus medicamenti vis præſentiſſima, certiſſimaque ad eam rem eſt) fila autem, & lichni mollius, & lenius adde-

denda

denda ſunt, ne videlicet iis carnis impediatur accretio, incrementúmve. Nec verò carnis inductio impedit, quo minus oſſa corrupta, ſi quæ fuerint, tempore remittantur. Eſt autem opportunum ad eam rem tempus ferè vigeſimusquartus, aut vigeſimusquintus dies, quibuſdam etiam, & ante hoc tempus remittuntur: ſed ubi vulnus magnum eſt, atque ubi locus terebra perforatus fuerit, plerunque vigeſimoquinto die, oſſium remiſſio fit.

Nec verò hæc quæ de oſſibus extrahendis diximus,ſic interpretari debemus, ut oſſa ſua ſponte remiſſura, atque eruptura intelligamus, ut plerique chirurgorum putant: ſed neceſſe eſt, ut ab artifice extrahantur eo inſtrumento ferreo, quod vulgo caprinus pes dicitur: hoc enim ubi apprehenderis, & paululum contenderis, ſtatim oſſa ipſa cedunt, & ſequuntur: quod ſi prima die non ſuccedat, ſequenti facile expedietur res. Itaque curandum eſt, ut tempeſtivè, & opportunè oſſa extrahantur. Ubi autem extracta fuerint, licebit jam ægroto ſurgere è lecto, idqúe tuto.

Poſt hæc verò deinceps, in ſanando vulnere, exiccatione uti conveniet, aluminis uſti injecto pulvere, & lineis filis impoſitis, addito, etiam ſuper hæc



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0059-6

emplaſtro. nec verò frequens adeò debet eſſe hujus pulveris uſus, ſed parcè agendum eſt: atque hoc modo triginta dierum ſpatio vulnera curantur, nullo magno, nec ægrotantis labore, nec chirurgi negotio.

## ANNOTATIO.

*Terebella nota antiquis fuit: & bis, ni fallor, apud Hippocratem lib. de capitis vulneribus mentio fit. ejus uſus veteribus periculoſus eſt exiſtimatus: unde Galenus ſcalpellum magis probat: quod per cava ſcalpra adhibetur tandem os excidit: exciſorio eo lenticulari tantopere à Galeno laudato: vide Æginetam capite proprio. Advertendum eſt uſum terebræ alienum eſſe: ubi oſſa ſunt vehementer perfracta, aut ubi per ſe imbecilla ſunt, aut contuſa: excipit Hippocrates puerorum os, quod non admodum imbecillum eſt.*

Nocet enim] *Doctiſſimè annotavit auctor, quod Galenus ait in octavo de uſu partium, videlicet quàm celerrimè excidenda oſſa eſſe, ne refrigeretur cerebrum.*

Poſtera autem die] *Paulum Æginetam ſequitur. advertendum eſt, ſi ſpontanea ſit nigrities, perduretque ita, ut jam profunda petat, inſiti caloris mortificationem ſignificare, atque ita ſanè deſperandum eſſe.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0060-7

# DE VULNERIBUS

## Capitis gladio, aut alio inciſorio inſtrumento factis.

### CAP. V.

AN vulnus in capite factum quod cranium etiam inciderit, profundum penetranſve ſit, facilè ex longitudine cognoſcimus: nam ex capitis rotunditate, & loci, in quo vulnus eſt ratione certa, penetrationis capitur conjectura. Igitur ſi vulnus profundum, penetranſque eſt, formandum in primis fuerit, neque opus fuerit cranium incidere ex tranſverſo; ſatis enim fuerit, ipſius jam inciſæ carnis labra una cum pericranio utrinque diducere, atque in trianguli figuram conformare. Sequente autem die, balſamo illo, quod vocamus, liquato, & calido, curare incipiendum eſt, addito emplaſtro ex gummi elemii. Tertia verò die, trepano ſive abaptiſto utendum eſt: oſſa verò ex inferiori parte perforanda, etiam ſi ſuſpitio ſit, membranulas omnes inciſas fuiſſe; ex eo enim loco, omne pus, ſanies, omniſque noxius purgatur humor. Aperto ergo jam loco, membranulas roſaceo melle curabis, unà cum linimento (quod balſamum vocamus) carnem inducente,

quod deſcriptum à nobis eſt. Hoc enim dura mater mundior fit, & carnem inducit: ungendus autem hoc medicamento totus inciſus locus eſt, officio plumæ, ut omnia loca ſubeantur, & mundentur, neque inutilis autem & ſupervacuus in his vulneribus raſorii inſtrumenti uſus eſt, quem Legram vocant: namque tanta membranarum porrio radendo deſecta nocentem aërem admitteret, & neque membranæ ipſæ ita commodè mundarentur, carnémve inducerent opportunam, quemadmodum id uſu terebellæ commodiſſimè præſtatur. Nanque hoc modo curata vulnera facillimè expurgantur, carnemque inducunt, & oſſa ſi quæ extrahenda ſint, eodem ferè tempore quo contuſa vulnera remittunt.

Si verò hæc vulnera, ultra priorem ferè cranii tabulam, non pertineant, in hujuſmodi cognoſcendis, & curandis, judicio diligentiaque magna opus eſt. Non enim raró uſu venit, ut hæc vulnera fiant ab eo homine, qui gladio ſtrenuè uti neſciat, nec vulnerando, ſcindendóve leviter manu percutiat, ſed obtundat, potius quàm ſcindat, perinde ac ſi fuſte res acta eſſet: ita lædat, ex quo ictu caput conquaſſatur, magis quàm vulnus accipiat, & cranium ipſum, con-

concava ſua ſuperficie, atque ea parte qua cerebri membranas attingit: magis etiam commovetur, quam ex ſuperiori parte fuerit tactum, aut conciſum, ita ut gravius enſe, quàm fuſte lædatur. accidit etiam, ut ex ea pertuſione nonnullæ interdum venæ rumpantur, ex quibus, qui ſanguis erumpit, facilè corrumpirur, & mortis indicia, deinde mors ipſa ſequitur. Quamobrem ubi hujuſmodi quippiam contigerit, hæc quæ diximus omnia cogitare, docti medici imprimis intereſt; atque ſi id commodè fieri poſſit, gladium ipſum quo factum vulnus fuerit comtemplari, acutus ne ſit an obtuſus, & hominem etiam, qui vulnus fecit, an dexteritate valeat, an viribus magis valeat, conſiderare: ſimiliter etiam, quo ferro uſus fuerit, acutòne, ac levigato, an pugione, ſecuri, pilo alióve potius quam acuto. multa præterea hujus generis æſtimanda, penſandaqúe ſunt. Signa etiam ipſa obſervari oportebit quæ in eo, qui vulnus acceperit, ſunt ſecuta: ſi ſtatim evomuit, ſi corruit, ſi viſu ſenſuque fuit perturbatus: namque hujuſmodi accidere nihil ſolet, ubi vulnus leviter tantum acceptum eſt; neque aliud quàm inciſio, eſt factum: adeò enim leviter ferre, & pati ut non capite, ſed pilo ictum tuliſſe

ſibi videatur, id autem ex veloci evenit contuſione. Propterea ubi hujuſmodi quid aciderit, cùm difficilis admodum conjectura, indicatioque ſit, illud ego tutiſſimum conſultiſſimumque eſſe arbitror, ut locus trepano aperiatur. namque nullum ex hoc periculum timemus, etiamſi nihil interius, eum læſum fuiſſe inveniamus: nullum inquam periculum, nullámve curationis dilationem: contrà verò ſi hoc negligatur, maximum certiſſimumque periculum, & plerunque mors ipſa ſequitur. Atque equidem pleroſque eorum qui ex vulnere in capite accepto pereunt, hac cauſa perire arbitror. Nam in hujuſmodi eventibus, nihil aliud chirurgi quam radere, & legra uti conſueverunt, quoad illis ad ſciſſuræ finem perveniſſe viſum fuerit, atque ita ſibi & officio ſuo ſatis feciſſe ſe putant: ubi autem minus illi timent, tum lætalia ſigna apparere incipiunt, quorum rara illis cognitio eſt. Atque hoc modo omnes pereunt, ut nullus hæc pericula poſſit evadere: neque verò hoc mirum, aut incredibile videri debet, cùm rariſſimi in regionibus noſtris ſint, quibus trepani notus ſit uſus, etiam ſi medicinam aut chirurgiam fuerint profeſſi. Nam pleroſque hanc curandi rationem improbare, atque ut periculo aleáve plenam dam-

damnare, audio, qui illud non vident, ex duobus certis, & ad certa membra commodiſſimis inſtrumentis, alterum hoc eſſe, quod à Joanne Vigone, atque à Guidone, tum ab aliis auctoribus imprimis commendatur: illis enim (ut propriis eorum verbis utar) trepanus in capitis, & falx in ani curationibus vehementer probantur. Quid autem falx ſit, aut quis ejus uſus, equidem ferè omnibus noſtratibus medicis ignotum eſſe arbitror, neque ſi inter multa inſtrumenta, id temerè oblatum ſit, agnitum iri ab illis puto. Sed ad rem redeamus. Sentio igitur, ubi nihil eorum quæ obſervanda nobis propoſita ſunt, metuere in capitis vulneribus contigerit, nihil præter legræ uſum opus alio inſtrumento eſſe. Jam autem inſtrumentum triplex eſſe oportet, majuſculum, videlicet, medium & minimum, quorum hujuſmodi uſus eſto: ſi ſciſſura quantum eſt prioris tabulæ altitudo, aut etiam altius penetraverit, majuſcula legra eſt agendum, deinde media, tandem minima. Si verò levior, & minus profunda, inciſio in oſſe fuerit, ſatis erit locum lævem, planumque minima legra reddere; ne videlicet latibulum, aut receſſus reliquus ſit, quo pus confectum penetret; & cùm abſtergi non poſſit, os ipſum corrumpat.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0065-5

Hoc autem ubi jam expeditum fuerit; ſecunda curatione. balſamum adhibendum eſt, etiamſi nondum pus fuerit confectum. Hoc enim medicamento opportuniſſimè conficietur pus, ut antè docuimus. deinde filis locus impleatur, non nimium compreſſis; addaturque alterum ex his, quæ ſuperius deſcripta nobis ſunt, emplaſtris. Hoc igitur modo, rectiſſimè & citiſſimè vulnera quæque curantur, nulla ſæpe oſſium jactura. nam quamvis ab aëre interdum tangantur, tanta hujus medicamenti vis eſt, ut ſi bona naturæ conſtitutione ægrotus ſit, omnia facilè corrigantur, & reſtituantur, ut periculo facto manifeſtum erit. Quod verò ad diætarum victus rationem, & locorum opportunitatem attinet, hujuſmodi erit: Si hyems fuerit, cubiculum, ſi fieri commodè poſſit, in ſuperiori domus parte ſit, dummodo tectum ſatis probè contignatum ſit: & non tegula tantum à pluviis tueatur: nam ſi hæc haberi minus poſſint, in cubiculo inferiori lectum parari conſultius fuerit. Æſtivo autem tempore inferius cubiculum eſt commodiſſimum, ne videlicet ab æſtu ægrotus lædatur: cubiculi verò oſtium clauſum ſemper eſto, & velo objecto, aërem ſubeuntem arceto; lucerna inſuper noctu, diuque in cubiculo ardeat, cujus

calor

calor ſatis commodè ambientem aërem temperare valet. quod ſi frigidior adhuc locus hyeme eſſe videbitur, carbones incenſi inferantur interdum: neque enim nimis calidum eſſe conducet, propterea lucernam ſemper ardere, & fores clauſas eſſe præcipimus: addito ante oſtium velo. Contingit enim ſæpe, ut qui ingreditur, fores claudere negligat Conſuevere nonnulli chirurgi, ſindone ſuper aſtantia capita injecto inſtar tentorii facere, & ita operam curationi dare: atque equidem ea re ſi modo locus, ut diximus, paratus ſit, nihil opus eſſe arbitror, imò & nonnunquam nocere id puto. candelarum enim calor, ſindone objecta reflectitur, & vapores ex ægrotantis capite exhalantes tranſpirare non ſinit; id autem moleſtiſſimum, noxiumque eſſe, maximè verò in calidis regionibus eſt manifeſtum. in frigidis autem id melius admitti poteſt. ſæpe autem in bello capitum profunda vulnera, aperto cælo, atque ſub dio, curari contingit, ubi neque cubiculum, neque ſindon, neque ignis ſit: igitur ea, quæ de parando loco dicta nobis ſunt, ſatis eſſe arbitramur. Sed ubi curandi tempus erit, geminam lucernam utrinque ſupra admoviſſe, retulerit, quam proximè id fieri poſſit, quò aër ambiens calefiat, & tempere-

peretur, eæque ſatis luminis adhibebunt, & frigus quod nocere poſſet commodè arcebunt. namque nihil ferè frigidi, in cubiculo, ita ut diximus, parato erit: & ſi quid ſubeſſe ſuſpiceris, id totum lucernæ corrigent admotæ, quam profectò rem facilè uſus ipſe oſtendet.

In ipſo quidem curationis initio, nos eos, qui ex vulnere in capite laborant, paſſulis atque modico paſcimus pane, cum in prandio, tum in cœna: aqua verò ex aniſo & ordeo, aut ea quæ ægrotantis habitudini maximè conducere videtur; atque hoc victu, uſque ad ſeptimum diem, utimur, niſi quid aliud fortè reipſa, aut aliunde orta, poſtulet neceſſitas. Quod ſi habitudine bilioſa homo fuerit, ſemel in die carne ex pullo ut veſcatur permittere, aut ex pulla, donec ſeptimam evaſerit diem. Jure autem carnium interdicendum omnibus qui hujuſmodi patiuntur, utpotè quod nocere vehementer ſoleat. *Ab initio autem curationis ſiruptum ſingulis diebus mane propinamus, nempè roſati ex infuſione ℥ ij.*

*cum aquæ plantaginis ℥ ij.*

*Idque ſeptem diebus conſequenter faciendum curamus.* Providere etiam ſedulò oportet, ut ſingulis diebus venter exoneretur, ſive id ſponte ſua, ſive clyſtere addito præſtari poſſit. Purgativum verò

verò medicamentum nullum, neque caſſiam exhibemus, quoniam frequentibus periculis obſervavimus, eam rem illis vehementer nocere, quamvis ſimpliciſſimum medicamentum ſit, nihilque habeant ſolutivi omnino ad mixtum. Si quis autem contrà contenderit, is profectò rem ipſam experimento cognoſcet. Nam cum caput princeps membrum ſit, fieri non poteſt ut nihil à purgante medicamento moveatur, ob eam quæ cerebro cum ventriculo eſt, communicationem: ex quo fit, ut prodeſſe nihil, nocere autem plurimum, ægrotis poſſit. Et quidem hanc rationem nobis ab hinc quinquaginta annis ſemper ſucceſſiſſe, cùm ante id tempus, non ita ex ſententia eveniret, dum caſſiam fiſtulam ægrotis exhibere conſueveramus. Satis ergo fuerit horum ſiruporum uſu humores attenuare, calorem temperare, viresque reficere, concoctricemque juvare ventriculi atque hepatis virtutem: ſanguinis aliorumque humorum reprimere ebullitionem. At verò cum oſſis fractura certa non eſt; ſuſpitio tamen eſt occultam aliquam eſſe rupturam, aut certè ſanguinem è venis effuſum, qui corruptus mortem poſſit afferre. Hanc rem certa quidem experimenti ratione licebit deprehendere pileolo quodam confecto quod ex Berta-

paliæ

paliæ ſententia deſcribemus quamvis ab eo auctore non ita apertè præceptum ſit.

℞. *Ceræ novæ citrinæ, thuris, ſantali ana ℥ij.*

*terebinthinæ, & aceti fortiſſimi & farinæ fabaceæ ana ℥j.*

*Miſce ad ignem, & fiat emplaſtrum,* quod extendatur per totum caput, ad inſtar pilei, capite tamen prius deraſo. nam qua parte ruptura in oſſe ſuper ea parte cerotum diminutum atque exſiccatum invenietur, idqúe trium tantum dierum ſpatio oſtendetur; aliis autem partibus ubi fractura nulla ſuberit, emplaſtrum æquale atque uniforme omnino apparebit. Si verò nihil fuerit ruptum, eadem in univerſum emplaſtri facies erit.

## ANNOTATIO.

Num calvariam pervadant ] *Multa ſumuntur indicia: primo capite à telo ſunt petita, nunc à parte in qua infliguntur, ut ſi in aliqua commiſſura, ſi in anteriori verticis parte: hinc & alia præſagia, & curandi modum capit Hippocratis: etenim infirmiſſimæ ſunt iſtæ partes minus poſticæ, quia os durius, minusque cerebri continent.*

Trianguli figuram ] *Cavendum eſt ne tempora unquam incidantur, nec locus ſuperior juxta arteriam, quæ per tempora fertur.*

*ſiquidem nervorum diſtentio ſequeretur : violatis iis muſculis, quos in libro de articulis Hippocrates* κροταφίτας *appellat.*

Si Statim vomuit] *Hæc leges apud Hippocratem libro ſeptimo aphor. aphoriſmo 59. & aphoriſmo 50. libri ſexti, multa in coacis prænotionibus, & in libro de Vulneribus capitis.*

Semel in die carne] *Bilioſi magis nutrimento egent, minusque jejunia ferunt; apud Hippocratem libro, ni fallor, ſecundo de ratione victus in acutis, noxæ quæ ex jejunio accidere ſolent, recenſentur, animi deliquium, capitis vertigo, ventriculi imbecillitas : quæ omnia ibi, & in Galeni Commentario exponuntur.*

Purgativum nullum] *Etenim cùm cerebrum ceteras partes quodam modo contineat, à nulla verò contineatur, aliarum partium redundantias non recipit : non eget ergo purgatione. Hoc addam medicamentum catarticum ab Hippocrate exhiberi, ſi eriſypelate caput infeſtetur, ac tale medicamentum, quod bilem ducat.*

# DE CONTUSIONIBUS
## Capitis in infantibus & pueris.

### CAP. VI.

EXiſtunt perſæpe in pueris ſeptennio minoribus contuſiones, aut caſu, aut

aut ictu, aut alio quovis inſtrumento impetuve factæ, ſimiles omnino apoſtematibus, aut iis vitiis, quæ in æreis, aut plumbeis vaſis conſpicimus, ita ut cute illæſa, & poſteriori etiam cranii tabula minimè rupta, prior tamen perſæpe lædatur. Namque ejus oſſis per ætatem teneritudo, aliquando in cauſa eſt, ut nonnunquam cranium illæſum, ſæpe etiam læſum, & ruptum deprimatur, & pelliculæ cerebrum ambientes rumpantur: quod nos perſæpe deprehendimus, ejuſque rei exemplum nuper editum eſt, cùm in oppido Llerena Bethicæ provinciæ, quadrimus puer nobis curandus fuiſſet oblatus, quem lignea porta è feneſtra decidens, graviſſimè percuſſerat, ſecundum eam quæ coronalis commiſſura dicitur, ex quo ictu, utrumque os, atque utraque etiam membrana rupta ſunt, atque etiam cerebri pars ter per totum curationis ſpacium emiſſa eſt. Sanatus tamen eſt puer, citra vulneris manifeſtationem, & ſine ulla oſſium jactura, neque ultra vigeſimum diem dilata eſt curatio. Ad hujuſmodi autem compreſſiones, in puerorum capitibus curandas, nulla vulneris majore (quàm ipſo caſu facta eſt) manifeſtatione fuerit opus: & ſi nullum vulnus factum erit, nihil eſt aperiendum, quamvis omnia oſſa læſa, com-

comminutaque eſſe cognoſcantur, atque hæc tutiſſima ratio curandi in ejuſmodi vulneribus erit. Nam quidquid contrà quàm diximus, vulgo fieri ſolet, id certiſſimum habet periculum.

Hujus autem hæc curationis ratio eſt, præter temperatum pueri, & ſalubrem victum, aut ſaltem nutricis, ſi lacte adhuc alatur, diverſiones aliquas facere conveniet, aut brachia ipſi aut crura ſcarificanda ſunt. Si contuſio nullum manifeſtum vulnus oſtenderit, prima curatione hoc remedio utimur.

℞. *Olei roſarum, camomellini ana* ℥. ß. Sub loco contuſo ponatur. Seq. Emplaſt.
*olei myrthini* ℥ j.
*ovi unius album, cum vitello, cum parte aliqua farinæ fabarum, & ordei ana, & myrtillorum pulvere* ℥ j.

*Omnia commodè miſceantur, & fiat ad modum emplaſtri, idque ſub contuſo loco ponatur.* Poſtera verò die, aliud emplaſtrum adhibemus; loco tamen probè prius novacula abraſo.

℞. *Sordiciei alvearis apum, vel ſi id haberi minus poſſit, ceræ novæ ſordidæ, & mellis communis pulverizati* ℥ j.
*lapidis Hæmatitis in pulverem redacti* ℥. ß.
*pumicis lapidis, & cymini, & abſinthii, & furfuris communis* ʒ ij.

*Miſce omnia ad ignem, & fiat emplaſtrum,*

*ſtrum*, quod loco depreſſo imponito, latiore etiam ambitu duorum digitorum; mira enim vis hujus emplaſtri eſt, ut intra duodecim dies oſſa contuſa compreſſaque tollat: nullumque ad eam rem medicamentum efficientius eſſe puto.

Quod ſi præter oſſis depreſſionem, & rupturam, vulnus etiam fuerit, principio ovi albo, & vitello ſimul agitato curandus eſt, additis peciis mollibus, atque tenuibus, ſtupa pulvilis, quibus vulnus tegitur. Poſtera autem die, utemur balſamo, à nobis in hoc libro ſæpe commendato: vulnus autem hoc leviter ex pluma inungendum eſt; cujus præſentiſſima virtus, facilè hoc in genere etiam perſpicietur; mirè enim concoquit, emundat, carnemque inducit: liquefactum autem eſſe oportet, non nimis tamen, ne quid ægrotus uratur; aut ne quid de medicamenti vi nimio calore decedat. (Illud verò maximè eſt cavendum, ne quod omnino os extrahatur, quamvis omnia comminuta eſſe conſtiterit) filis autem ſiccis vulnus operiendum eſt, neque iis nimium preſſis. Super hæc verò; id quod modò deſcripſimus, emplaſtrum eſt addendum, calidum quidem illud, quod profectò magna cum curantis voluptate, & admiratione, ſine ullo

Hippoc. lib. de officina medici.

ullo diſcrimine, omne pus quod intus conficitur, exugit, & compreſſa quoque oſſa breviſſimè tollit, in eumque reſtituit, qui ſecundum naturam fuerat, ſitum. Poſſumus enim tutò affirmare, nobis hac & aliis curandi rationibus, quæ deſcriptæ jam ſunt, per annos plus quinquaginta, frequentiſſimo experimento uſis, ſemper ex animi ſententia ſucceſſiſſe, & Dei auxilio, cui nos omnia accepta referimus, multos è maximis & graviſſimis vulneribus liberatos, teſtari poſſumus, inter quos hactenus novem jam ſunt, quibus non exigua cerebri pars perierat. Ferè autem innumeri, quibus prior meninx vehementer fuerat lacerata, ex his autem novem, quos retulimus, prius apud urbem Xeres Pacenſis diœceſeos, familiaris quidam Joannes Bazzani, qui gladio vulnus in capite acceperat, ex quo vulnere membranis ruptis, tantum cerebri deceſſit, quantum duo tritici grana ſunt. Succeſſit citiſſima paralyſis, & alterius corporis partis, & linguæ impedimentum, qua uſque ad quartum menſem laboravit, ex qua tamen affectione, poſtquam ex vulnere ſanatus eſt, melius etiam habere in dies cœpit. Secundus verò fuit puer quidam, decem annos natus, muli calce percuſſus in fronte, ut ferreæ ſoleæ margine oſſa etiam compri-

primerentur. Huic per continuos ſex dies de cerebro, quantum lens eſt, ſingulis curationibus deperiit, atque hinc nihil mali, præter vulnus, eſt conſecutum.

Tertius ex oppido, *Fuentes de Leon*, appellato erat, qui telo obtuſo, ex baliſta jacto, petitus, & capillos, & oſſa, & carnem ſuper cerebrum coacta habebat: prima autem, ſecunda, atque tertia cura hæc omnia extracta à nobis ſunt, pulſatione enim ipſa paulatim expellebantur: una verò, & cerebri pars prodibat commiſta? in quo rem nobis non negligendam animadverti: id autem fuit quod duodecimo die, molle quiddam, & candidum excreſcere intus cœpit inſtar adipis, quod ſequenti curatione ita exuberaverat, ut ſupra carnem omnem emineret; nos autem hermodactylorum pulverem injecimus, eo modo reductum, coactumque iri arbitrati. Cùm autem tertia curatione ſupra cutem, etiam nimium exceſſiſſe deprehendiſſemus, ferro rem agere conſilium fuit. Igitur forcipe, quatenus cranium æquabat, reſecuimus; id autem quod reſectum eſt, nucem juglandem magnitudine ſuperabat; nihil verò neque ſanguinis, neque alterius rei ſecutum eſt; poſtera verò die nihil apparebat, ſed plana omnia,

nia, bonoque colore conſtabant. Sanatus igitur hic homo eſt, ſed tamen quoad vixit, morbo regio laboravit; cujus prima acceſſio ſeptima die fuit, & dum curaretur, alteram & tertiam paſſus eſt acceſſionem.

Supervixit autem uſque ad quartum & trigeſimum annum.

Quartum autem curavimus in oppido Llerena Marchionis de Falces, qui eam provinciam adminiſtrabat famulum: hunc alius ex domeſticis quidam æreo petierat candelabro, in coronali oſſis parte; omnis autem ea oſſis pars, qua vulnus accepit, comminuta, atque ſuper cerebrum fuerat vehementer coacta; opus igitur fuit ſecunda, tertia, & quarta curatione: ea oſſa omnia extrahi oportuit, quæ loco mota, cerebrum graviter premebant, maximè quæ ex inferiori tabula erant, cerebri ſubſtantiam continentes pelliculas ruperant, ex quibus duo oſſa ita magna erant, ut per vulneris hiatum, magna cum difficultate erui potuerint; ab his autem pelliculæ, & cerebrum ipſum vitiata fuerant, quamobrem ſingulis curationibus, à ſecunda, ad quintam uſque, ternæ, quaternæque ex cerebri ſubſtantia portiones, eæqúe non exiguæ deceſſerunt. Interfuit autem dum curaremus, Benedictus Arias Montanus



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0077-2

Theologus noſtras, qui apud nos eo tempore chirurgiam, artis potius, quàm operis cauſa docebatur: quinque ergo continuis diebus oſſa, & cerebri partes prodierunt, quæ pulſatione ipſa pellebantur. Atque hic juvenis gravibus ſymptomatibus affectus eſt, dum curaretur; nam dextro latere convulſionem, ſiniſtro verò paralyſim, atque etiam regium paſſus eſt morbum. Hæc autem omnia, undecima die aggreſſa, ad vigeſimam uſque, cum ſummo etiam faſtidio duravere; poſt hæc melius habere cœpit: tandem divina ope omnino incolumis evaſit. Dum nos Llerenæ (quod oppidum inter Bethicam & Luſitaniam eſt) publico populi ſtipendio, chirurgiam, & ſacræ inquiſitionis magiſtratus honeſta mercede exerceremus, admirandum periculum accidit, apud oppidulum Valverde, decem miliaribus Llerena diſtans: quod hic referre decrevimus, quòd ejus hominis reſtituti hiſtoriam nemo audire poſſit, quin Deo auctori, atque unico humanæ ſalutis præſidi gratuletur. Ea verò res ſic habet. Dum operarii quidam prægrandes lapides machinis, & arte in turrem, quæ tunc ædificabatur, tollerent (productum autem opus jam erat, & templum cui hærebat, altitudine ſuperabat) unus ex lapidibus decidens, quen-

quendam eorum qui machinam volvebant, in capite plenè percuſſit, qua ſagittalis commiſſura eſt; is autem ſubitò corruit, ſimulque cum lapide terram attigit: erat autem lapis cubitali latitudine, & longitudine; duodecim verò digitorum altitudine,& pondere quatuor & viginti librarum.

Jacuit autem homo in eodem loco, per horæ dimidium, nihil omnino ſentiens: inde autem pro mortuo penè, aut intra horam ſaltem expiraturo, domum eſt ſublatus. Hic cerebri commotionem paſſus, tres integros dies non ſolum ſermonis, ſed motus etiam expers; movebatur autem ab adſtantibus, non ſecus,ac ſi mortuus fuiſſet.

Magna autem oſſium pars, depreſſa cerebro incubuerat; ſanguis verò oculis, atque auribus eruperat: caput autem ipſum, & collum tumidum, atroqúe colore conſpiciebatur. Poſt octavam autem diem, ſponte ſua apertum eſt caput, à ſincipite, atque ab occipite, & ex altero etiam latere: maturuerant enim jam apoſtemata. Nos igitur oſſa in locum ſuum reſtituimus; membranæ autem inflammationem paſſæ ſunt; tertia die locutus eſt, imperfectè tamen, & ut commotæ mentis homines ſolent, apertis oculis, imò & patentibus epilepticorum

more erat: ſed nihil omnino videbat, neque cernere cœpit uſque ad vigeſimam diem, indiesque viſu etiam proficiebat. Secundum verò poſt menſem rectè jam cernere, ut ſanus cum eſſet, potuit, cùm vulnus jam ſanatum fuiſſet. Nam ad vigeſimam quintam, plurima oſſa remiſſa ſunt. Statim autem è lecto ſurrexit, tametſi tunc rectè ingredi non valebat; atque ita divina magis, quàm humana ope ſanatus eſt: evaſit autem pætis & transverſa tuentibus oculis, qui etiam curatione procedente, quarto menſe reſtituti ſunt, rectéque intuebatur: vivit hic adhuc, uxoremque duxit. Nam juvenis tunc erat, oculos verò aliis auxiliis reſtituimus.

## ANNOTATIO.

*Quæ de puerorum oſſibus tradit, docentur à Galeno ſexto methodi medendi.*

Ad hujuſmodi autem compreſſiones] *Non eſt ampliandum vulnus, nec aperiendum, nec ſi integra cute calvaria perfringatur. incidenda illa eſt: hæc Hippocratis videtur eſſe mens, atque præter auctoritatem accedit ratio, nam ubi os perrumpitur integra cute, calor non expirat, & per ſe digerere ſaniem poteſt, & oſſa ſolidare quod in fracturis manifeſtè videmus: fragmenta enim cùm nudata non ſunt ſolidantur.*

Ex

Ex quo vulnere tantum cerebri] *Quacumque parte cerebrum vulneretur, ſi telum altè inſederit (teſte Hippocrate) res lethalis eſt: apud varios auctores varia eventa, qualia ab auctore recenſentur. Galenus etiam multos convaluiſſe ſcribit, quibus telum ſummam dúntaxat partem attigerat. illud commemorandum, quod Smyrnæ in Ionia juvenem ſanatum dicat; cui telum ad alterum ex anterioribus cerebri ventriculis penetravit.*

## DE CURATIONE vulnerum in facie.

### CAP. VII.

VUlnera quæ in facie facta ſunt, quamrectiſſimè à principio ſunt curanda; id autem fiet ſi providebimus, ut probè acu, & filo commiſſa, conjunctaque labra ſint, non pluribus, non paucioribus, quàm opus eſt, punctis, ita ut caro carni, cuti cutis aptè cohæreant, nullo in vulnere orificio relicto, niſi ita magnum, & profundum fuerit, ut oſſa etiam penetret: cùm enim ſic habuerit orificium reliquiſſe, flammulamque ſubdidiſſe expediet, qua noxia omnis humiditas expurgetur, & pus etiam quod conficitur, cùm magnum, & profundum vulnus eſt: alioqui verò nullum pus expectare oportuerit, ſi rectè cura-

tio fiat. Sæpe autem contingit, ut acu nihil opus ſit, quando videlicet vulnera non tranſverſa, ſed in longum accipiuntur, quam rem nos ſæpiſſimè præſtitimus hoc modo: Fili longi atqui contorti (quale id quo conſuere ſolemus) alterum extremum alteri, ex auriculis innodamus, atque ſuper vulnus ipſum, cujus labra rectè commiſſa ſunt, tranſmiſſum ſæpe capiti circundamus, crebris & ſeſe propè contingentibus ſpiris, donec totum vulnus commiſſum, cohærensque atque concluſum ſit (namque hoc modo vulneris labia aptiſſimè cohærent) deinde lini quadras pecias, cum ovi albo imponimus, & poſt ſeptem horas ovi albo ablato, cataplaſmata utrinque admovemus ſuper ipſa fila, quæ ubi exſiccata fuerint (exſiccantur autem intra quatuor horas) acu & filo committenda ſunt, ut quantum fieri poſſit, ſimul cohæreant: tunc verò alia fila, quæ caput circundabant, & vulnus committebant, rumpi licet. cataplaſmata autem hoc modo fiunt. Albo ovi ſimul cum aqua roſarum conquaſſato, pulvis hic additur, & optimè etiam commiſcetur, ut moderata conſtet Spiſſitudine.

℞. *Boli armenici* ℥ j. ß.
*thuris, maſticis, ſarcocollæ ana* ʒ ij. ß.
*myrrhæ, aloes ana* ʒ j. ß.

*traga-*

*tragacanti piſti, ſanguinis draconis ʒ ij.*
*farinæ hordei, farinæ fabarum ana ʒ iij.*

*Miſceantur.* ex his duo cataplaſmata hinc & hinc vulneri admoveantur (diſtent autem utrinque à vulnere digitum.) Super ipſum vulnus petias ex lino imponimus ovi albo intinctas, quantum eſt inter cataplaſma ſpacii, latas, & vitta uſque ad poſteram diem, nam poſtera die auferuntur petiæ quas ovi albo intinctas impoſuimus, & balſamo illo à nobis deſcripto, locum ex pluma inungimus, ſuperinducto emplaſtro tenui ex hoc ceroto quod nobis maximè ſemper eſt probatum, ex deſcriptione Joannis de Vigo.

℞. *Olei roſati, olei myrthini ana* ℥ j.
*terebinthinæ claræ* ℥ *ij.*
*pinguedinis vitulinæ* ʒ *x.*
*maſtichis* ℥ j. ß.

*Vini odoriferi cyathum unum, roriſmarini, mille folii, plantaginis, conſolidæ minoris, centaureæ majoris ana manip.* ß. *Bulliant omnia uſque ad conſumptionem vini: deinde colentur, & cum cera fiat cerotum;* malaxetur autem cum vitello ovi; atque hac una curandi ratione ſi rectè fiat, quatuor aut quinque diebus oris vulnera curantur, nulla cicatrice relicta. Idem efficitur & magno illo unguento baſilico, quod à Joanne Vi-

gone in antidotario deſcribitur: idem etiam ceroto de minio, præſtatur, dummodo illo noſtro balſamo illinatur. Quod ſi neceſſariò acu, & filo utendum ſit, eligendæ ſunt acus quàm tenuiſſimæ, & filum quod acubus etiam ſubtilitate reſpondeat; multi enim ex tonſoribus, qui vulgo apud nos vulnera curant, ſolent iis acubus oris vulnera conſuere, quæ femoribus conſuendis aptatæ ſunt, & puncta eousque hærere ſinunt, quoad ipſa ſua ſponte rupta, carnem etiam ſecum rumpant: curant autem eo modo quo facta in corpore vulnera curari ab iis ſolent, digeſtivis atque oleis adhibitis; atque ita ex ſimplici vulnere compoſitum reddunt. Vulneribus igitur puncto, & filo commiſſis, lineæ peciæ ovi albo conquaſſato, intinctæ ſuperponuntur, atque uſque in poſterum diem ſinantur; tunc enim adglutinanda cataplaſmata ſunt, quemadmodum dictum eſt, & vulnus balſamo ex pluma inungendum, addendumque emplaſtrum aliquod ex tribus quæ commemorata nobis ſuperius fuerunt; deinde vulnus eſt ligandum. Sequenti autem die cataplaſma committimus; conſuta, & puncta forfice rumpimus, & balſamo locum inungimus, addimuſque cerotum: atque hæc omnium in univerſum faciei vulnerum breviſſima, & certiſſima curatio eſt.

Con-

Contigit nobis in oppido Frexenal, ut hominem curaremus, cui facies vulnerata ferro fuerat, ab ipſo naſi & ſuperciliorum confinio, uſque ad utriuſque labii utrinque extremitatem, & diductionem: ita ut naſus cum mandibula ſuperiori, ac dentibus ſupra mentum deciderint, qui autem illi domi abſtabant, imprudentiſſimè ſe geſſerant. nam lineo panno vulnus obſtruentes, eam faciei partem quæ dejecta fuerat, ſic temerè jacere ſinerunt. cùm nos vocati acceſſimus, eam partem; naſum inquam, & mandibulam, jam frigidam, & penè mortuam, depræhendimus, ut acus difficillimè potuerit penetrare; tamen totum locum acu commiſimus, atque ut mandibulæ ſuperioris oſſa ſuis oſſibus, ut natura fert, interius cohærerent. Idque hoc modo: ligavimus vittam duobus digitis latam, fronti circumdedimus, cui ab inferiori parte limbus eſſet, cui fortiter fila committi poſſent: ei vittæ duas aſſuimus alias à ſincipite in occiput, & ab aure in aurem, in crucis modum, anguſtiores illas quidem, quæ tantum latiorem illam tenere poſſent. Hæc ubi parata fuere, acui grandiori filum longum indidimus, atque ex vitta ambiente fila, inter aurem & frontem ligavimus, quod inter primum molarum dentem, & caninum tranſmi-

ſimus, atque ad vittam retulimus, quæ frontem cinxerat: deinde rurſus dentes è regione petendo, atque hoc modo aſſuentes, mandibulam cum naribus, ſimul aliis quibus conveniebat, oſſibus commiſimus, deinde cutem acu junximus; ita ergo, ut diximus, colligatum tenuimus, quoad membra invicem coaluiſſent: tandemque divina ope reſtituimus, ut nullum accepiſſe unquam vulnus videri poſſet.

Eadem etiam ratione homo à nobis curatus eſt, quem taurus petierat cornuqúe ſub mento ab aure ad mandibulam uſque ſuperiorem; eam etiam faciei partem aperuerat, quæ ſiniſtrum oculum à naſo disjungit, cum cornu extremitas (ut ij qui aderant; maximè autem homo ipſe affirmabat) plus decem digitis prominuiſſet: conſuimus autem acu locum, qua cornu ſubierat, & qua prodierat etiam; mandibulam verò ipſam, ut in ſuperiori curatione dictum eſt, alligavimus, atque exterius quidem juxta præcepti noſtri rationem curavimus; interius autem os ipſum frequenter lavari juſſimus, decoctione ex hordeo, roſa, balauſtiis, & melle roſato colato etiam admixto, atque ita breviſſimè curatus eſt; multis tamen oſſibus è palato decidentibus, quæ cornu fuerant comminuta,

nuta, atque in palato ipſo foramen relictum, quantum pollex digitus ſubire poſſet. Ubi autem omnia ſana, cutisque fuerat inducta, foramen illud ſuper cortice levi, affabreque adaptata, lino etiam circumveſtito obturavimus; qua ratione proviſum eſt, ut & loqui & edere atque bibere rectè poſſet. Noctu tamen auferendum curabat, ne foramen magis aperiretur; interdum autem reponebat.

## ANNOTATIO.

*Vulnera frontis, & cæterarum faciei partium apud Hippocratem diverſam curationem habent: etenim vulnerum capitis ſolum ſiccantibus Hippocrati & Galeno perficitur: Galeno potiſſimùm qui cum ſexto Terapeutices duas curationes inter ſe contrarias proponeret; Eudemi profectò eligit, qua ſe uſurum dicit, ſi in Aſia degeret: Hippocratis verò; nam toto libro de Vulneribus capitis, vinum rejicit, nec linimentum, nec cataplaſma adhiberi vult. Verùm fronti, aliiſque faciei partibus hæc commodè adhibentur, ut apud eoſdem diligens lector advertet.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0087-8

# LIBER SECUNDUS

## De profundis in pectore vulneribus.

### Cap. I.

Multos perſæpe vidimus, qui penetrantia pectoris vulnera curantes, tamen aut numquam ſanant, aut citiſſimè lethum adferunt, etiamſi lethalia ſua natura non ſint: quòd hujuſmodi curationis opus, & rationem à peritis magiſtris minimè acceperint. quod ſi nonnullos ex iis qui hujuſmodi patiuntur, vivere contingat; tamen perpetuis fiſtulis (quas vocant) laborare videmus. Hos ubi diu fruſtra medici curaverunt, cavam ex plumbo aut ex argento indentes fiſtulam relinquunt, atque hujuſmodi oratione ſolantur: ſe noluiſſe illis locum omnino claudere, quoniam pus intus concluſum, cum non habeat qua parte expurgetur, mortem certam afferret: expedire autem illis eam fiſtulam ſemper conſervari qua ſordes, vulneriſque excrementa expurgentur, atque hoc modo vitam, quoad Deus conceſſerit, producent, atque ita incuratos dimittunt. Cauſa autem eſt, quòd recens adhuc vulnus curare neſciverint: neque aliud fieri poſſe in ea re putant, quàm quod ab eis fit.

Quam

Quam quidem ob rem eam, quam nos in hujuſmodi vulneribus rationem tenemus, deſcribere placuit, quaque curamus omnia, quæ ad nos recentia deferuntur, modò neceſſariò lethalia non ſint, qualia ab auctoribus produntur diaphragma & mediaſtinum penetrantia: hæc omnia manifeſti omnibus periculi ſunt; à doctoribus autem paſſim enumerantur: cætera verò omnia, quamvis corpus ipſum perforatum ſit, tamen divina ope ſanantur, cujuſmodi nobis innumera tam recentia, quam ab aliis etiam derelicta, intra quadrageſimum diem, ejuſdem auxilio ſanare contigit. Idem autem cuilibet medico continget, qui rationem à nobis reddendam, modumque ſequi voluerit: ſive recentia, novaqúe vulnera, ſive antiquiora, ab aliis derelicta fuerint; neque manuum opera ad eam rem indigebit.

Communis ferè omnium ſcriptorum noſtrorum opinio eſt, vulnera profundo in pectore accepta, incurabilia ut plurimum eſſe, quorum periculum ſi quis fortè evaſerit, tamen perpetua fiſtula, aut phthiſi laboraturum eum affirmant. hujus autem ſententiæ inprimis Vigo eſt, qui quanquam optimè ea quæ ad curationem pertinent, docuerit, tamen experimentorum, & practicæ defectu

(cujus præcipua in chirurgia laus eſt) deſperatam promittit curationem. Nos autem, Deo opem ferente, certam promittimus, in difficillimis etiam eventibus, etiam pulmone perforato. Curationis autem ratio hæc eſt. Si vulnus recens fuerit, is qui accepit, nudus in lecto collocandus eſt: ubi autem vulnus profundum, penetransque eſſe perſpicitur, probè compoſitus, cruribus diſtentis, plano que corpore cubare jubeatur, vulnere inferius conſtituto: ut omnis ſanguis quem effundi è vulnere neceſſe eſt; extrà manet, neque quidquam cruoris intra pectus reſidat; fieri enim non poteſt, ut non ex interioribus venis, atque etiam exterioribus, plurimum ſanguinis intra pectus confluxerit. Hoc modo igitur conſtitutus ægrotans cubet, quoad chirurgus ea, quæ paranda ad curationem videbuntur, paraverit: ubi autem omnia præſto fuerint, perſpiciat denuò an ſanguis effluat: quod ſi adhuc effluit, ſinat libenter, atque tuſſire interim: interim anhelitum continere jubeat, donec quidquid cruoris intra pectus eſt, defluxiſſe omnino intelligat. quod ſi vulnus magnum eſt, aut lancea, aut latiori gladio factum, committi acu oportebit, uno aut etiam altero puncto omiſſo, ut aperti ſive orificii tantum relinquatur,
quan-

quantum digitus ſubire poſſit, per quam apertionem flammula albo ovi intincta ſubdatur; ſic tamen ut tota non immittatur: erit enim longior, quàm pro vulneris ratione, & cujus pars aliqua exterius emineat. quod ſi flammula utimur, nullus metus eſt ut tota intra vulnus inducatur; contrà autem, ſi lichinus ſit: facilè enim à vulnere exorbentur hujuſmodi, quale periculum duobus, non diu eſt, noſtratibus medicis, accidit; alter enim imprudenter lichnum craſſum, quantus digitus eſt, intra pectus protrudit, quem nos decimum poſt diem, non ſine negotio & diligentia extraximus, ſtatimque ſanatus homo ex vulnere eſt. Alteri autem malvæ caulis, filis involutus, intra pectoris decidit penetralia, diuque intus latuit, neque quicquam conari profuit, ut extraheretur. Sed fila tantùm, ſecundum poſt menſem, extracta vix fuere, caulis autem ipſe nullo modo educi potuit: profundum enim vulnus nimium erat, orificiumqùe ſecundum furculam habebat: ille ergo ægrotus, multa macie confectus, & omni deſtitutus virtute periit. Igitur ubi flammulam ſubdideris, pecias ovi albo intinctas cum pulviſculis imponito, vittaque recte ligato. Hoc modo autem curatus, ſuper vulnus ipſum cubet, pulvinis utrinque appoſitis, ut vul-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0091-3

vulnus in vacuam, inferioremque partem incumbat, quo omnis ſanguis, atque noxius omnis humor eò confluat: atque nullum omnino lichinum induci oportet; ea enim res dupliciter nocere ſolet, & quòd cruoris exitum impedit, & quòd dolorem ægrotanti affert, atque ejus indendæ frequentia fiſtulam efficere ſolet. Flammula autem indita, vulnus ſemper apertum, quantum ſatis eſt, habet, qua noxia humiditas emanet, & neque dolorem affert, neque aërem inde tranſmittit. Venam etiam ſecare oportebit, ex adverſa primùm parte, deinde ex conjuncta, ut opus eſſe expedireque medicus intellexerit; ægrotantis etiam virtute perſpecta. Exhibere autem & hanc potionem conveniet, quæ ſanguinem reprimere, & purgare poteſt; ea autem manè quatriduo eſt illi ebibenda.

℞. *Rhabarbari electi ʒ ſs.*
*rubiæ tinctorum mumiæ ana ℈ j.*
*terræ ſigillatæ ℈ ſs.*
*aquæ ſcabioſæ bugloſſæ, & vini granatorum ana ℥ j.*

Expedit etiam ejuſmodi apozema parari, quo anhelitus, & reſpiratio corrigatur, faciliorque ſit; eadem autem cibus ſimul medicamentum, & potus eſt, quo vulnus maximè recreatur.

℞. *Hordei mundi contuſi, & paſſularum enu-*

*enucleatarum ana pug. iiij.*
*radicium bugloſſæ* ℥ *iij.*
*liquiriciæ raſæ aliquantulum contritæ* ℥ *j.* ß.
*ſeminum communium* ℥ *ij.*
*Iujubarum numero* xx. *prunorum ſubtiliter inciſorum numero* xv. *radicum petroſelini contuſi manip. j. fiat decoctio ſecundùm artem in lib. xiiij. aquæ pluvialis uſque ad conſummationem tertiæ partis; deinde coletur cum forti expreſſione, cui adde penidiorum* ℥ *iij.*
*ſirup. roſarum, & de duabus radicibus ſine aceto ana* ℥ *iij.*
*ſachari libram* ß.
*cinamomi pulverizati* ℥ *j.* ß.

*Fiat apozema*: ex hac autem quarta quaque hora libram bibet, tepidam quidem, ſi hyems fuerit; nihil autem aliud aut edere, aut bibere toto triduo licebit: triduum autem horis metiendum eſt; hoc enim & ſufficienter alit, & difficultati reſpirandi medetur, cujuſmodi pati ſolent omnes qui profundum in pectore vulnus habent; reumatum etiam fluxum reprimit, & ſanguinem, qui intus remanet, corrigit, atque expurgat. Procurandum etiam quotidie eſt, ut vel ſponte, vel clyſterii adjutorio, ventrem exoneret; quarto autem die licebit prandere carnem, aut pulli gallinacei, aut

pullæ

pullæ coctam cum pertroſelini radicibus, addito croco & cinamomo. Veſperi verò paſſas uvas, acinis remotis, comedet, aut amygdala. A prandio autem, & à cœna aquam bibat, cum petroſelini radicibus, & liquiritia & cinamomo decoctam; interdiu autem nihil omnino bibat.

Secunda autem curatione ita perficitur: ex tenui lino flammula paretur, qualis illa prima fuerat, quæ prima curatione indita eſt. hæc autem illo à nobis ſæpe repetito balſamo liquefacto intincta in vulnus indatur: id enim medicamentum concoquere, & carnem inducere compertum eſt. Inditur autem quoad carnis ſoliditas pertineat; porta quadam exterius eminente. Super hoc autem emplaſtrum baſilicon, ex deſcriptione Joannis de Vigo, aut Gratia Dei, circa vulnus aut ipſum defenſivum in lino extenſum adhibeatur: foramine tamen facto, qua vulnus eſt, ita ut defenſivum à vulnere, undique tribus, aut quatuor digitis diſtet. Fiet autem ex roſaceo, & aceto, & bolo armeno, atque ita ſingulis diebus ſemel curetur, quoad ſatis puris confectum fuerit. Nam poſtera die pus erit, idque bonum: quinta autem, ac ſexta plus etiam erit: tunc autem bis, aut ter, aut etiam ſæpiùs in die curandum eſt. proſpicere autem oportet, ut ægrotus, quoad fieri

poſſit,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0094-1

poſſit, commodiſſimè, & diutiſſimè in vulnus ipſum incumbat, quo pus extrà promanet. *Nullo verò pacto permittendum ut lichnus indatur; namque hujuſmodi perpetuas, in his vulneribus, fiſtulas moliuntur.* Ubi verò carnem vulnus induxerit (Id autem decima aut ad ſummum duodecima continget die) nihilomnino, neque flammula, neque aliud quippiam eſt indendum: ſed in tantum emplaſtrum adhibere convenit quo fueris à principio uſus, aut emplaſtrum minii, quale Joannes Vigo deſcribit, idqúe ſæpius in die eſt abſtergendum, ne pus nimium redundans intus penetret. Demùm ubi nihil jam puris excreatum ſit, caroque jam aucta fuerit, aluminis uſti pulvis adhibendus eſt, cicatrixqúe jam eſt procuranda. Signa quæ ab auctoribus obſervanda traduntur, quibus mortis, aut liberationis fieri judicium poſſit, in iis qui vulnera in pectore profunda acceperint, hujuſmodi ſunt: In primis poſt tertium diem, à medico obſervandum eſt, an difficulter etiam ut antè reſpiret. Nam ſi aut æquè difficilis, aut difficilior etiam reſpiratio ſit, lethale id eſt: ſin aliter, bonum, & bona prædictione dignum. Atqui affirmare poſſumus, nullum qui hoc modo curatus fuerit periturum, etiamſi pulmonem ipſum perforatum

tum habeat, niſi vulnus cordi proximum, aut in ipſo corde ſit; ea enim res citiſſimè mortem affert. Deinde ſi ii qui hoc modo habent, intra tertium diem convulſionem, aut tremorem cordis patiuntur, iis mors prædici poteſt.

Si in primis diebus ubi apozema jam ebiberit, eveniat, ut ex vulnere copioſior, quàm antea, puris portio defluat, ſignum eſt vulnus ad fiſtulam tendere, ægrotumque ipſum ad phthiſim perduci. id etiam periculum eſt, cùm intra pectus ex vulnere cruor defluxerit. Namque is cruor ubi ex venis emanaverit, concreſcit: deinde in aquoſum colorem, & ſubſtantiam corrumpitur, & qualis aqua, ex elutis carnibus, relinquitur; inde autem magna erumpit copia, cum gravitate, etiam fœtore, anhelitus etiam gravis, & teter ipſi ægro eſt: aqua verò ipſa purior in dies promanat: hujuſmodi etiam ad fiſtulam tendit, atque ad certam mortem, niſi opportunè fuerit proviſum. Quid autem in hujuſmodi eventibus ſit agendum, in eo loco in quo de penetrantibus in pectore fiſtulis, docebimus.

Si in primis diebus ad quartam uſque ægrotus graviter, aut pectore aut tergo doleat: facilè huic malo occurretur admoto emplaſtro, quale à Joanne Vigone certo capite deſcribitur, cujus quamvis

in multis quæ curavimus in pectore vulneribus, rarus admodum nobis fuerit uſus; certus tamen, & præſentiſſimus eſt cognitus. Semel enim contigit hoc uti, cum in oppido de *Fuente de cantos*, juvenem quendam curaremus, qui duabus ſagittis fuerat ſauciatus, in dextrum latus per cavum à pectore ad oppoſitam tergoris partem trajectis, atque utrinque prominentibus; adeò autem vehementer homo angebatur, ut jacere nullo modo poſſet: ſed in lecto ſedebat; cruribus tamen extrà ad terram uſque pendentibus. hujus autem emplaſtri & deſcriptæ à nobis apozemæ auxilio, & venarum etiam ſectionibus, ante tertium diem meliùs ex illis doloribus, & quietis carentia habuit, atque ſuccedente, ex animi ſententia, curatione vigeſima die ſanatus omnino eſt. Emplaſtrum autem ejuſmodi eſt.

℞. *Camomillæ, Meliloti, anethi, abſynthii ana manip.* j.
*furfuris triturati, pug.* ij. ß.
*farinæ fabarum, farinæ hordei, farinæ lentium ana* ℥ vj.
*roſarum pug.* j.
*omnibus trituratis & cum ſapa ſufficienti & parum vini albi, fiat ad ignem emplaſtrum ſolidum: addes autem olei roſarum* ℥. ij. ß.

*olei*

*olei camomelini anethini, ſingulorum ℥ ij. ceræ ℥ ij. ß. croci ʒ ij.*

Locum in quo curandus eſt, calidum eſſe oportet, cubiculi oſtio clauſo, & velo ante oſtium extenſo, intra cubiculum incenſi carbones. Malum eſt enim vulnera profunda, penetrantiaque frigido aëre tentari. Agendæ autem nobis Deo gratiæ ſunt, quòd plures hac ratione curaverimus, quàm enumerare facile ſit, ex quibus unus fuit in oppido Calzadilla, qui enſe à tergo trajectus eſt, ſiniſtro latere ſecundùm ſpinam; enſis autem tribus digitis infra ſiniſtram mamillam pluſquàm duobus palmis prominuerat: acceperat etiam homo duo in capite vulnera, quorum alterum ad duram uſque matrem pertingebat. Alium etiam curavimus in oppido Cumbres baxas, atque is ſagitta helleboro intincta fuerat ſauciatus, ſiniſtro latere quatuor ſuper mamillam digitis; eminuit autem telum à tergo inter coſtas mendoſas nuncupatas, ſecundum alterum lumbum, inter ſecundam & tertiam coſtam. namque ex altiori loco fuerat petitus. Hic autem hoc modo à nobis eſt curatus. ubi vulnera conſpeximus, veneni avertendi cauſa hanc exhibuimus potionem.

℞. *Caſſiæ ligneæ, ariſtolochiæ rotundæ ana* ℈. ß.
*aniſi piperis ana* ℈ j.

*Terantur cum modico vino, & exhibeatur poculum.* ſtatim verò utraque parte, qua telum ſubierat, quaqúe prodierat, ignitum cauterium admovimus datilari dicto inſtrumento: deinde etiam duobus alteris gladiaribus cauteriis, quæ parata nobis ad ignemque admota fuerant, ab iliis ad humeros uſque, undique à tergo, à pectore ultra ducenta vulnera, ſcarificationum modo fecimus, invicem digiti ſpatio diſtantia. Namque tota hæc corporis pars, veneno tentata intumuerat jam, & pulmonis inſtar emollita erat: hæc ubi expedita ſunt, parato jam nobis emplaſtro, totum pectus, & terga: qua viri vis pertingere videbatur; quaqúe igni á nobis fuerat cautum.

℞. *Milii aliquantulum toſti* ℔ j.
*farinæ fabarum* ℔ ß.
*furfuris triturati* ℥ viij.
*camomillæ, meliloti, aneti aliquantulum triti ana m. iij.*
*coriandri, cumini ana* ℥ ij.
*ex omnibus cum ſapa ſufficienti fiat emplaſtrum ſolidum addendo olei camomelini, anethini ana* ℥ iiij.
*olei laurini & rutacei ana* ℥ ij.

*Hoc emplaſtro per triduum uſi ſumus:* quod quoties amoveremus, exuctæ ex ſcarificationibus aquæ pallidi coloris ſatis largam copiam abſtergebamus. toto

autem

autem hoc triduo, ægrotus graviſſima ſymptomata, atque animi deliquia patiebàtur: interdum etiam rabidorum more, veſtes, culcitrasque dentibus appetebat, & furioſus, irrequietusqúe, toto volutabatur lecto; tanta illi ex veneni vi anxietas, tanta acerbitas erat. Principiò autem apozema homini propinavimus, atque eo ad quartam uſque diem fuimus uſi, ut nihil præterea aut cibi, aut potus exhiberemus.

℞. *Hordei mundi contuſi, paſſularum enucleatarum contuſarum ana pug.* iiij.
*radicum linguæ bovinæ* ℥ *iij.*
*liquiritiæ raſæ aliquantulum contritæ* ℥. j. ß.
*ſeminum communium* ℥ *ij.*
*ſeminis citri* ℥ j.
*piperis, caſſiæ ligneæ, caſtorei ana* ℨ j.
*vini granatorum* ℔ j. ß.
*jujubas num.* xx. *prunorum ſubtiliter inciſorum numero* xv. *radicum petroſelini contuſi m.* j. *fiat decoctio ſecundùm artem in lib.* xv. *aquæ pluvialis uſque ad conſumptionem tertiæ partis: deinde colentur cum forti expreſſione, & addantur penidiorum* ℥ *iij.*
*ſirup. roſarum; & de duabus radicibus abſque aceto ana* ℥ *iij.*
*cinamomi pulverizati* ℨ j. ß.
*ſachari rubei* ℔ ß.

Fiat

*Fiat apozema.* Poſt quartam ægrotus quievit. Nos autem virtutem magis ac magis firmabamus, jure avium exhibito, in quo aniſum, caſſia lignea, petroſelinique radices, decocta erant. Vulnera etiam ipſa melius in dies habuere, ita ut ad vigeſimam ferè diem, ſalutari Dei ope reſtitutus, omnino fuerit.

## ANNOTATIO.

*Interna thoracis vulnera inter ſe differunt; prout magis, aut minus gravia fuerint. Quædam enim ſunt cum internorum viſcerum noxa: quædam illis illæſis infliguntur. atqui hæc aut in anteriori parte fiunt, aut in poſteriori: unde etiam medicus ſua præſagia capiat, neceſſe eſt. Quæ enim vulnera in poſteriori parte ſunt; magis ſunt periculoſa, & lethalia ob multitudinem à vertebris manantium nervorum, nec non ſpinæ, & diaphragmatis propinquitatem.*

Communis omnium ſcriptorum] *Quæ vulnera interna viſcera lædunt, plerumque deplorata Græcis auctoribus, & Latinis recentioribus judicantur. Verùm tamen alia aliis magis minusve periculi in ſe habent; corde læſo vivere nullo modo quis poteſt: pulmone vulnerato, poteſt quidem: at niſi triduo vulnus coaleſcat, credit Galenus, hos tabidos evadere, lib. quinto methodi medendi. ſi diaphragma*

*ſaucietur : jam febris adeſt continua , phreneſis ( undo* φρένας *antiquis medicis dictum fuit) convulſio , & peripeumonia , quia ſuppurati intereunt.*

Curationis autem ratio hæc eſt ] *Duplex eſt chirurgorum opinio : ſunt qui vulneris oras ſtatim conjungi , obturarique volunt , ne cor aëris frigiditati exponatur , & ne vulnere aperto vitalis ſpiritus exhauriatur:* alii *auctoris noſtri ſequuntur methodum.*

Perſpiciat denuò an ſanguis effluat ] *Optimè vult auctor ſanguinem in thoracis capacitatem receptum effluere; alioqui ibi collectus , peripeumonicum hominem redderet. Hæc eſt Hippocratis mens libro de Hulceribus, à Galeno expoſita 4. methodi, quæ auctor tradit, ratione ad virtutem habita intelligenda ſunt: nam ſi ea largiori hemorragia labefactaretur ; tunc reprimenda certè eſt.*

Petiæ ovi albo intinctæ cum pulviſculis ] *Pulviſculis non ( ut ita dicam ) reſtrictivis , alioqui ſanguinem ad cordis regionem impelleres , atque ita ſuffocares , ut adnotavit Albucaſis.*

Sanguinem reprimere ] *Bene addidit (reprimere) nam ſi de acervato & concreto ſanguine in thorace metus ſit, plurimum aceti cum aqua ægro potui dandum, ut ait Galenus.*

Signa, quæ ab auctoribus obſervanda traduntur ] *Multa ſunt , quæ ab auctoribus ſcribuntur ſigna , ut quæ ex loci poſitione, aut*

ab

*ab ipſa excreta ſubſtantia ſumuntur: Verbi gratia; num dextero lateri; num ſiniſtro inflictum vulnus ſit; ſi cruor qui è vulnere fluit niger ſit, & copioſus; ſi albus & tenuis, ſpumoſus: præterea anhelitus difficultatem advertunt, & num per vulnus ſpiret conſiderant, auctor Albucaſin ſequitur.*

Si primis diebus ] *Si adhibitis ex arte præſidiis melius non habeat, ſaniesque copioſior ſit; ſignum eſt ex pulmone ſaniem in thoracem fluere, & empyema efficere: vide Æginetam capite de Tabe.*

## DE CURATIONE fiſtularum quæ in pectoris male curati vulneribus perpetuo relinqui ſolent, ex quo fit ut phthiſi & hectica febre ægri laborent.

### CAP. II.

Hujuſmodi fiſtulas, à multis ex noſtratibus chirurgis ac exteris deſperatas, atque illarum ea, quæ apud auctores leguntur remedia, imbecilla omnino eſſe, deprehendimus; nullas tamen ad nos abhinc quadraginta annis allatas fuiſſe invenimus, quas cum magna Dei ſalutaris laude facilè non curaverimus. Nos enim hujuſmodi affecti, multi etiam ex Italia, & Gallia, atque ex omnibus Hiſpaniæ provinciis, petiverunt, quibus



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0103-6

ex acceptis in prœliis vulneribus, in hanc difficilem fiſtularum naturam occalluerant, ex quibus etiam copioſæ, atque perpetuæ puris promanant fluxiones, tum ex vulnere ipſo, tum ex ore etiam. Hos autem continuæ febres, perpetuaque macies comitatur: tota autem hæc affectio nullo ferè ægrotantis labore, atque exiguo medici negotio, quadraginta diebus curatur, atque in bonam omnino valetudinem, fortemque habitus conſiſtentiam mutatur. Declarat autem & id oris color, & corporis obeſior etiam habitudo. Neque verò ea res nos turbare poſſit, quòd copioſo fluxu penè virtus exhauſta, aut quòd os aliquod in coſtis corruptum eſſe, exploratum ſit: etenim ſi id commodè extrahatur, facillimè, atque citiſſimè ulcera ipſa carne inducta, reſtituentur. quod ſi nullum os corruptum ſit, nulla alia re opus eſt, niſi ut ulcus emplaſtro admoto curetur, nigro, aut noſtro fulvo, ſive leonini coloris, aut utroque, unà commixto: id autem ægrotus ipſe ſibi ſæpius abſtergendum curabit, atque hoc modo ulcera ſanantur; interiorum autem locorum hujuſmodi curatio eſt.

Purgando in primis nobis ægroto ſirupus ille tribus, aut quatuor diebus manè ebibatur.

℞. *Sirup. roſarum ex infuſione & mellis roſati colati.* ℥ j. *aquæ*

*aquæ ſcabioſæ ℥ iij.*
*deinde hujuſmodi exhibeantur pillulæ.*
℞. *maſſæ pillularum aggregativarum, & de agarico ana ʒ ß.*
*acuantur cum diagredii G. iij.*
*& formentur v.*
*Vbi jam verò purgatus fuerit, hoc apozema paretur.*
℞. *Polipodii quercini probè contuſi ℥ ij. vel iij.*
*radicum helenii contuſarum m. ij.*
*hyſopi, capillorum veneris recentium, liquiritiæ ſecundo pulverizatæ ana m. ij.*
*folliculorum ſenæ p. j.*
*epithimi ℥ ß.*
*paſſularum enucleatarum benè contuſarum p. iiij.*
*fiat decoctio ſecundum artem in lib. xij.*
*aquæ, quoad remaneant ℔ viij.*
*deinde colentur forti expreſſione; colaturæ autem addatur ſachari rubei ℔ ß.*
*mellis communis ℔ j.*
*Bulliat parum & ſpumetur* : ex hoc autem tepido ſingulis diebus manè unciæ duodecim bibantur : veſperi etiam tantundem. ubi autem totum decoctum conſumpſerit, duabus illis, ejuſdem generis, pilulis quod concoctum fuerit purgabitur. poſterá verò die ac deinceps ejuſmodi decocto utetur, ex ligno ſancto, quod vulgo guayacum vocatur, fa-

brorum, aſperiori lima probè deraſo, & in pulverem velut redacto; uncias octo ſumito ex ejuſdem ligni cortice, non eo quidem qui ligno adhæret (namque hujus virtus à ligno ipſo exſucta, atque exhauſta eſt) ſed ex eo qui ſeorſum à ligno ſecretus, ex Oceani novo orbe aſportatur, ℥ x. probè contuſi, & cribro decuſſi rariore, addito etiam aniſi pugillo, alteroque ſeminis lactucæ & liquiritiæ contuſæ ℥ ij. idqúe in ollam nitro interius obductam dimidiæ arrobæ Hiſpanicæ capacem injiciatur, cum vini albi veteris, ac generoſi poculis duobus, quæ veterum medicorum menſura lib. viij. ſunt tantundem etiam aquæ uſualis addatur, & per diem integrum, hoc eſt, horarum viginti quatuor, macerentur; deinde lento igne coquantur, quoad tertia pars fuerit abſumpta; in ipſo autem ultimi fervoris articulo roſarum recentium vel ex ſiccatarum pugillum conjicito, atque hermodactylorum in pulverem redactorum, atque in ipſo mortario eadem decoctione ſolutorum ℥ j. in eandem ollam effundito, ſimulque ab igne removeantur; ubi parum una ebullitione ebullierint. operculo autem rectè obducta omnia, quoad friguerint, ſinito, ubi frigida fuerint, colentur: id verò quod primum effuſum fuerit, purum atque defecatum,

Hoc eſt lib. 12. cum dimidio.

catum, in puro etiam vaſe excipiatur; ex quo quoties cibum ſumpſerit, pocula certa ebibet: reliquum verò in altero vaſe ſatis expreſſum reponatur: ex hac aut poſteriori, quæ paucior ac turbidior eſt, ſingulis diebus ægrotus duodenas uncias ſenas mane, & totidem veſperi bibat idque ſi hyems ſit, calidum eſto: ſi verò æſtas, frigidum. Veſperi autem dicimus æſtate ſecunda, aut tertia poſt meridiem hora? hyeme verò noctu tertia, aut quarta hora à cœna: vas autem ſemper agitandum eſt, ut id quod deſederit, turbetur ac miſceatur, atque ebibatur prorſus. Nam præcipua horum medicamentorum vis in hoc eſt: ex altera verò priore, ac puriore aqua, ad prandium, & cœnam quod ſatis ſit, bibito; nimium enim bibiſſe, etiam nocet. Victus autem ratio hujuſmodi eſto, ſi nimium debilitatus, bis per diem avium aſſas, vel elixas carnes comedere, non nocebit, aut etiam arietinam, aut hædinam ſi par ſumptui non fuerit: ſin verò meliori conſiſtentia, minorique imbecillitate fuerit, ſemel tantum in die carne, nocte verò paſſulis, exiguoque pane utatur: proderit etiam validioribus interdum paſſulis, & amygdalis tota die uti, & à carnibus abſtinere. Denique omnia hæc prudentis medici ſunto conſilium: tamen duodecim ſaltem

dies temperantius, ac parcius agere omnino curandum eſt; facile namque perferri poterit triginta dierum abſtinentia, neque ideo debilior evaſerit: namque decoctum ſatis ipſum alere, & nutrire, imò & pinguedinem inducere valet, quanquam ſolis paſſulis utatur; quamvis etiam febre continua, aut hectica laboret; *omnino autem alio potu interdicendum fuerit*: neque verò ſi in primis diebus inſuavius videatur, moleſtè id ferendum eſt: nam tertio, aut ad ſummum quarto die, id ſuavius jam experiri licet, & nulli àlii quantumvis generoſo vino poſthabendum. Igitur omnem victus rationem medici conſilio permittimus: dummodo illud animadvertatur, magnam ſcilicet, in hac potione, ad alendum ineſſe vim: etſi maximo alias faſtidio ægrotus teneatur, vehementer cibi excitari appetentiam. Peractis autem triginta diebus, bis per diem carne veſci, ad 40. uſque licebit. Opus etiam erit, ut triginta primis diebus continuis in lecto cubet. quod ſi tamdiu perferre non poſſit, ſerenis & calidis diebus, tertia ante meridiem hora, ſurgat; veſperi autem, ante cubet, quàm potionem biberit, & veſtibus ſtragulis quàm commodiſſimis frigus prorſus arceat: cubile autem clauſum ſemper eſſe oportet, lucernamque ardere, ut calidus

locus conſervetur, & velo ante cubilis oſtium extenſo, frigidus aër ſubire prohibeatur. Nullo autem alio cibo uti permittatur, ſi modò ſanari cupiat.

Ipſius verò fiſtulæ curatio emplaſtro in lino, aut arietina pelle extenſo, atque impoſito, perficitur, quod tamen ſæpius per diem oporteat abſtergi; id enim antiquis ulceribus mirum in modum prodeſt: id verò hujuſmodi eſt.

℞. *Ceruſſæ & Lithargyrii ana* ℥ *ij.*
*olei communis antiqui & aceti fortiſſimi ana* ℔ ß.

*Bulliant lento igne baculo interim agitata, quoad in punctum ceroti coaleſcat.* Hujus ceroti, vel tantilla portione in lino extenta, ulcus ſanabitur, quam ægrotus ipſe ſibi ſæpius per diem abſtergat. Hoc igitur modo curatus, qui hujuſmodi paſſus fuerit, ſanus optimequé affectus, & obeſior etiam evadet; quamvis diuturna tabe, quamvis & hectica febre, aut phthiſi conſumptus fuerit, omnibus etiam membrorum omnium, organorumque nutritivorum, ſpiritualium, & animalium facultatibus, rectiſſimè ſi unquam alias habebit.

## ANNOTATIO.

*Fiſtula, quam* σύριγγα *Græci vocant, nomen ab arundineis fiſtulis capit, ut ait Æ-*

*gincta: eſt ſinus qui callo obductus durusque temporis progreſſu factus, cum ſibi ſubjectis conglutinari non poteſt: ut Galenus ait libello de tumoribus præter naturam. magna ex parte ex abſceſſu parum feliciter curato oritur: fitque in omni corporis parte, quarum quælibet ſua propria habet ſymptomata: ut apud Celſum eſt videre, & Aëtium lib.* 14. *Auctor eas ſolum proponit curandas, quæ ex malè tractatis in pectore vulneribus oriuntur.*

Quod ſi nullum os ] *Expedita curatio eſt in fiſtula ſimplici, recenti, intra carnem: contrà ſi fiſtula, vel os, vel cartilaginem, vel muſculos læſit, ſi articulum occupavit: ſi vel ad veſicam, vel ad pulmones, vulvam, vel ad grandes venas, aut inteſtina penetravit; ſemper enim periculoſa eſt, ſæpe lethalis, ut Paulus ait lib.* 6. *cap.* 78.

Ex ligno ſancto ] *Hæc curatio jam approbatata eſt, & à* Tagautio *tradita: & non injuria certè.* Hoc *enim ligni genus manifeſtam deſiccandi vim habet, putredini particulari beneficio reſiſtit, & roborandi inſigni pollet facultate: qui omnes ſcopi quæruntur in ſordido, putri, diutinoque ulcere qualis fiſtula eſt.*

Ipſius fiſtulæ curatio ] *Topica remedia plurima ſunt, quæ ex Galeno, Paulo Aëtio Celſo peti poterunt. adnotabo* Hippocratem *ſcribere libro de* Fiſtulis, *ſeſeli radicem fiſtulis impoſitam earum callos eximere, quod*

Pau-

*Paulus Spondilii radici tribuit.*

Hectica febri & phthiſi ] *quod ſit utriuſque diſcrimen, norunt qui medicinam ſalutarunt: addam febrim ad phthiſim eſſe epiginomenam, ſeu conſequentem atrophiam ad marasmum, ut Galenus lib. de Marasmo adnotavit. Quæ præterea auctor pollicetur, à nemine promiſſa vidi, nec legi. Omnes enim à corroſione natam talem inſanabilem ſtatuunt, ut dixit Hippocrates libro de Glandulis, & Galenus quinto methodi ita ait: niſi tertio die hæc curetur affectio, deploratam reddi.*

## Apozema ad vulnera pectoris & pulmonis, & ad tabidos.

℞. *Hordei mundati contuſi, paſſularum mundatarum contuſarum ana p. iiij. radicum bugloſſæ contuſæ m.iij. glycyrrhizæ raſæ modicè contuſæ* ℥ j. ß.

*cardui benedicti m. ij. ſeminum communium* ℥ ij.

*jujubas numero* xx. *Pruna tenuiter inciſa numero* xv. *Radicum petroſelini contuſarum m.j. decoquantur ſecundum artem in lib.* xiiij *aquæ pluviæ uſque ad conſumptionem tertiæ partis; & fiat colatura cum forti expreſſione; cui addantur penidiorum* ℥ *iij.*

*Syrupi roſati, Syrupi de duabus radicibus ſine aceto ana* ℥ *iij.*

*ſacchari* ℔. ß.

*cinamomi* ℨ j. ß.

*& fiat apozema. De quo capiat ſingulis diebus ſummo mane* ℥ xij.

*& totidem veſpere, quouſque totum abſolvatur.* illud animadvertendum eſt, quodquotieſcunque ebibendum eſt, fiat apozematis in vaſe commotio & agitatio, ut quod in fundo reſederit, miſceatur. Apozemate ebibito illi noctu exhibeantur pilulæ duæ è maſſa aggregativarum, ut quod commotum eſt & concoctum, evacuetur. Pro ſequenti die parata habeatur aqua altera, cum qua omnino ſanabitur, & habitum corporis optimum recipiet. Illius præparatio talis eſt.

℞. *Ligni ſancti, id eſt, guajaci* ℥ viij.
*corticis ejuſdem ligni* ℥ x.
*ſeminum communium* ℥ j. ß.
*glycyrrhiza raſæ modicum contuſæ* ℥ ij.
*paſſularum mundatarum contuſarum pug. ij. decoquantur in* 12. *libris aquæ, & totidem vini optimi ad tertias: tunc adde hermodactylorum* ℥ ij.

*optimè contuſorum, & eodem decocto diſſolutorum pauliſper interim bulliant*, & ab igne amoveantur; atque eo modo relinquantur uſque in diem proximum: tunc ſummo mane fiat colatura prior purioris aquæ, quæ in vaſe aliquo ſeponenda eſt; hæc enim pro potu in prandio, & cœna exhibenda eſt. Illius verò quod ſupereſt

colatura cum forti expreſſione fiat, & in vas aliud ſeponatur: de hac enim ſummo manè unciæ 6. ægro bibendæ ſunt, & totidem veſpere duabus horis poſt meridiem. priori pro potu utetur in menſa. Ut autem ea quæ ſecundo paranda eſt aqua majorem vim habeat: fæcibus quæ ex priori decocto ſuperſunt, aqua affundenda, & decoquenda ad ℔ ij. conſumptionem colo transfundatur: huic enim colaturæ vinum addendum erit, pro ſecundi decocti præparatione. Dum æger decoctum hoc bibit; pane & paſſulis veſcatur ad dies octo & plures, niſi debilis ſit: aqua enim hæc multum nutrit; deinde ſingulis diebus in prandio carnibus veſci poterit; in cœna paſſis contentus ſit uſque ad diem trigeſimum: deinde bis in die carnes comedere poterit ad diem uſque quadrageſimum. Si hyems ſit, uſque ad diem trigeſimum cubiculum egredi non debet, quod optimè clauſum ſit, & igne calefactum. Hoc remedio tabidi ſanantur, & qui fiſtulis in pectus penetrantibus laborant.

# DE CANCRI IN mamillis fœminarum contingentis curatione.

## Cap. III.

Cancri fœminis maximè accidunt, iis præſertim, quæ aut natura, aut electione ſteriles ſunt, cujuſmodi ſunt moniales, aut alias continentes mulieres quæ cœlibem vitam agunt: accidunt etiam & viris, ſed id rariùs. Horum autem curatio digna nobis viſa eſt, quam hoc in libro ſcriberemus, quando iis, qui rectè noverint, facilior multo eſt, quàm antiqui auctores credidere. Unde illud omnibus ferè noſtri temporis medicis paſſim decantatur: cancrum occultum non curari omnino. quod ſi curandus ſit, palliativa quam vocant, curatione utendum cenſent; non autem abſcindendum eſſe. id quod ſi de cancro exulcerato præciperetur, rectè quidem dictum fuiſſet; namque hujuſmodi cancris exulceratis, palliativa tantum curatio confert. Namque aliter ſi curentur, maturius, & certius omnino periculum timeri neceſſe eſt; adhibitis enim medicamentis, celerius multo corrodi, abſumique ſolent, maximè ſi corroſiva admoveantur remedia, aut quovis modo ſanguinem ex illis effun-

effundi contingat: cæteros verò qui ulcerati non ſunt, curare non ita difficile eſt, atque iſti opinantur, qui nullam cancrorum omnino curationem deſcribunt, aut præcipiunt; neque quomodo extrahi poſſint dicunt, cùm tamen extrahi omnino integri, ſine ullo periculo, poſſint, quantumvis magnos eſſe contingat. Quæ autem ab auctoribus curatio cancrorum omnium præcipitur, cujus omnis circa reſolutionem intentio eſt, ea inefficax omnino eſt, quam nos ſæpiſſimè vanam experti ſumus, quantumvis diligentes in ea paranda, variisque reſolutivis exercenda, fuerimus; qualia remedia & à Vigone, & à Celſo, Guidone, aliisque auctoribus præcipiuntur. Quam ob rem quemadmodum hujuſmodi cancri, citra noxam, & extrahi, & curari omnino poſſint, communis utilitatis cauſa ſcribere placuit. Ea autem breviſſima agendi ratio eſt, quam docebimus: primùm de curatione integra cancrorum, qui exulcerati non ſunt: deinde etiam eorum, qui exulcerati fuerint, optima palliativa cura diſſeremus, qua nos plures viros, & fœminas diu produximus, atque ne ea cauſa perirent, cavimus diligenter, imprimisque hominem quendam ſacerdotem ultra vigeſimum etiam annum hoc curationis genere

re ita conſervavimus, ut antequàm diem clauderet extremum, omnino ſanus eſſet obiit autem annorum pluſquàm 80. Principio hujus affectionis ſigna certiſſima ipſorum cancrorum incrementa ſunt; ea enim primum producta, ciceris magnitudinem non ſuperant: uno autem, atque altero, & pluribus etiam annis grandiora, & ad tactum duriora fiunt.

Sunt & alia ſigna ab auctoribus tradita quæ ex ipſis libris petere licebit.

Galeno 4. metho. Celſo próprio capite.

Igitur ubi cancrum excindere volumus, ipſum in primis affectum corpus purgatione præparaſſe oportuerit ſirupis, per quatuor, aut quinque dies exhibitis, quorum ad atram, aut aduſtam bilem concoquendam probata natura ſit (ex his enim humoribus malum hoc enaſcitur ac coaleſcit) deinde purgatio eſt adhibenda, quæ cum affectione. & hominis natura optimè convenire judicabitur. Tertia à purgatione die, ſecunda, aut tertia hora à prandio duorum ovorum vitelli unà cum albo probè agitata ſunto: addito ſi placuerit roſaceo modico. Præſto etiam erit magna lichinorum copia ex tenuiſſima lini ſtupa comparatorum; præterea, & pulviſculi cum vitta, quinque digitos lata, & gauſapis quoque bona pars paretur, atque etiam acus femoribus conſuendis idonea, cum

ſatis

ſatis tenaci filo, eodemqúe duplo: ipſe verò homo, aut in pulvinis, aut in culcitra reſupinus collocetur: utrinque autem duo alii homines ſint, qui illius brachia firmiter contineant: ne ipſe ſibi, contra nitendo, impedimento eſſe poſſit, dum curatur. Chirurgus verò immineat hominisque crura ſuis ipſe cruribus contineat, genibus ſupra culcitram ipſam flexis, & firmis: homò autem ſuperiori, à cingulo, parte nudus eſto: linteum autem utrinque ſit, quo ſanguis defluat. Cancer autem ipſe manu apprehendatur, qui ſi contra ipſius mammæ papillam erit, ſapienter eſt divertendus, ne ipſa pereat exciſa. quod ſi verſus axillam fuerit, divertendus etiam eſt, ne quid ex iis muſculis, qui ex axilla oriuntur, lædatur. ubi verò ita rectè conſtitutus fuerit, manúque ſiniſtra firmiter comprehenſus, tantum cutis acutiſſima novacula aperiatur, quantus cancer ipſe eſt. apertio autem in longitudinem fiat, deinde ex altero cancri latere, caro commota abſcindatur, & ſeparetur: ita tamen ut cancer non feriatur. quod ſi ſanguis erumpat, globulo ex bombyce facto locus opplendus eſt: quem, ſi id fieri conveniat, alter eorum qui brachia continent, digito comprimat, atque ex altero etiam latere carnem à cancro ſeparet.

ret. hæc autem operatio celerrimam Chirurgi poſtulat expeditionem, cum ſumma tamen diligentia, ac ſedulitate, atque maturitate conjunctam, ne quid temere peccatum ſit. Ubi autem utrinque cancer detectus, à carneque ſeparatus ſit, acu, filoque medius transfigitur, filumque ipſum alteri filo innodatum, alicui eorum qui adſunt committatur, à quo contentè ſublata manu tenendum eſt, atque hinc & hinc contra eam partem, qua Chirurgus ſecat, divertendum. ubi verò ex utroque latere probè fuerit à cætera carne cancer ſeparatus, inferiori ex parte penitus eſt abſcindendum, idque quam fieri poſſit expeditiſſimè, digitis admotis, ut totus cancer abſcindi ſentiatur, nihilque ex eo penitus relinqui: hoc verò commodiſſimè fieri ſolet gladiolo illo, quo Italici chirurgi ad tumores aperiendos utuntur, cujus figura ſcarificatorio gladiolo perſimilis eſt: aciem autem utrinque acutam habet; utendum autem curva acie, cuſpideque acutiſſima: namque illa pars commodius ea quæ inferiora ſunt reſecat, idqúe nullo erumpentis ſanguinis, aut alterius rei nocumento fit. adeò autem celerem operationem eſſe volumus, ut plus in trajiciendo cancro, filoque colligando, quàm in eodem penitus eruendo moræ ſit: nam-

namque hujuſmodi abſciſſiones fæminis plerunque contingunt; quibus natura debilior, animusque magis dejectus quàm viris eſt. Cùm abſciſſum extractumque penitus fuerit, ne quid ex eo intus reliqui ſit, diligenter eſt pervidendum, adeò autem durum eſt, ut metuendum hoc rarò ſit. Hæc ubi expedita fuerint, ſanguis omnis qui in vulnere fuit, diligenter abſtergatur, ac mox lichini ovo intincti indantur; ita tamen ne nimium compreſſi dolorem augeant: neque enim totus locus opplendus denſa nimis lichinorum inculcatione eſt. imponendæ autem ſtupæ eodem ovo intinctæ, pulvillique, & vittæ ſunt adhibendæ. Poſtero verò die eadem hora digeſtivo curabitur, aut balſamo illo noſtro, cujus magna ad concoquendum, mundandum, carnemque inducendam, efficientia eſt; id pluma leviter ungendo fit, additis etiam filis ſiccis, non tamen nimium compreſſis, ut caro ipſa paulatim coaleſcat, & ſeſe committat: circa ipſum verò vulnus, ſuperqúe, atque circa mammam, defenſivum addi oportuerit, ex roſaceo, cera, & bolo armenico confectum. ejus autem quod diximus balſami uſu quam citiſſimè emundabitur vulnus, caroque inducetur, atque ſanabitur. Super balſamum autem emplaſtrum

ſtrum baſilicon, lino extenſum imponimus. tandem ubi ſatis jam inductæ carnis erit, cicatrix filis ſiccis impoſitoque baſilico, aut leonato dicto emplaſtro procurabitur, aut ex gummi elemii emplaſtro compoſito: quodcunque autem ſit, ſæpius per diem abſtergendum. exulceratis autem cancris nulla alia præter palliativam curatio eſt: nam quidquid adhibueris, vehementer nocueris. noſtra autem in hoc genere hujuſmodi curandi ratio eſt, ut qui hoc malo infeſtatur, certis quibus commodum videtur temporibus, in anno purgetur; deinde per ſingulos menſes binis aut ternis pillulis atram bilem purgantibus utatur noctu ſub ipſum cubandi tempus; eæ autem aut ex fumaria commodiſſimæ ſunt, aut ex helleboro, aut lapide lazuli, aut epithimo, aut fætidæ, aut eæ quæ ex nitro ab Alexandro Traliano deſcriptæ ſunt; his enim corpus purum conſervatur, humorqúe ipſe minuitur, potius quàm augetur. In vulnere autem ipſo unguentum pompholigos ponimus, aut illud quod à Joanne Vigone in antidotario deſcribitur. hoc in lino extenſo ſine filis utimur, namque fila etiam nocere deprehendimus: etenim ſi vulneri tenacius adhæreant; ſanguinem eliciunt, isqúe ſanguis nocumentum adfert. Porrò quod proba-

probatiſſimum in hoc unguentum nobis ſemper fuit, illud in primis eſt.

*℞. Olei roſati, olei omphacini ana ℔ ß.*
*Sepi hircini & vitulini, unguenti roſati, unguenti populeonis ana ℥ ij. ß.*
*ſucci ſolatri & ſucci plantaginii, ſucci acetoſæ ana ℥ j. ß.*
*vini granatorum ℥ ij. ß.*
*bulliant omnia lento igne uſque ad conſumptionem ſuccorum & vini; & poſtea colentur: addatur ceruſæ ℥ ij. ß.*
*lithargyrii ℥ v.*
*plumbi uſti, antimoniæ ana ʒ x.*
*tutiæ Alexandrinæ ℥ j. ß.*
*camphoræ ſecundum artem trituratæ ʒ j.*
*Ceræ albæ q. s. & fiat ungentum molle,* videlicet liquefacta cera, cum oleis & in colatura ponantur reliqua mineralia, ducendo corpus ipſum unguenti per duas horas cum piſtello in mortario plumbeo, atque hoc optimum omnium in hoc genere medicamentorum eſt.

## ANNOTATIO.

*Quod univerſo corpori eſt elephantiaſis, id parti corporis ſeu particulari membro cancer eſt, ut Galenus ait ſecundo ad Glauconem. adnotandum eſt cancri nomen medicis eſſe æquivocum, ſeu homonymon; atqui ad duo morborum genera extendi, nempe ad cancroſium*

*tumo-*

*tumorem, tam in ſumma corporis parte hærentem, quàm in penitioribus, & latentibus corporis partibus, & ad cancrum ulceratum. de utroque agit hoc capite auctor; cùm uterque affectus ex atra bile, ſeu melancholico humore gignatur, tali videlicet ſucco, cujuſmodi eſt fex in vino, & amurca in oleo, ut decimo quarto therapeutices Galenus ait.*

Cancri fœminis] *Ita Celſus libro quinto: verùm & viris accidunt cancri; quibus potiſſimum per mariſcas aſſuetæ purgationes ſuppreſſæ ſunt, ut annotavit Galenus ſecundo ad Glauconem.*

Unde illud] *Mirari ſubit, quo pacto curationes utriuſq; cancri, ulcerati & non ulcerati, hic mutet auctor: etenim ulcerati cancri hanc chirurgiam, & exciſionem poſtulant, alii non ita, ut nos docuit Hippoc. lib. 6. aphoriſ. aphoriſ. 38. Cancros, inquit, occultos omnes melius eſt non curare: curati enim ſæpius pereunt; non curati verò longiùs perdurant. præter auctoritatem experientia eſt, nam, ut Galenus ait in Commentario; compertum eſt omnes, qui hujuſmodi cancros ſectione aut uſtione curare tentarunt, illos magis irritaſſe, & brevi homines interemiſſe. An ne novos, & incipientes cancros in ſummaque corporis ſuperficie hærentes curat ſectione auctor? quod permittit Avicennas, & ante eum Galenus; abditos verò non curat.*

Cura palliativa] *Palliativam curatio-*

*nem*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0122-2

*nem vocat, qua dolori occurrimus: nam interdum neglecta cauſa ad accidens ſe convertit neceſſitate coactus medicus (ut ait Galenus.) Adnotare volui, quod Paulus tradit libro tertio, capite 67. utendum eſſe mitigatoriis in interno corporis cancro, ut malva, & altheæ decocto.*

Namque hujuſmodi cancris] *Solùm de occultis cancris, in abditoque latentibus veritatem habet, ut infra docebitur.*

Quæ ab auctoribus curatio cancrorum] *Nam propter ſucci craſſitiem, nec repelli, nec diſcuti poteſt, tantaque eſt ejus vitii malignitas, ut mitiora planè contemnat remedia; vehementioribus, veluti lardo, irritetur, excandeſcat, atque efferatur.*

Igitur ubi cancrum] *Docet auctor cancri curationem, quæ per chirurgiam fit; qualem conceſſit Galenus 14. methodi, ut ſuis verbis probabitur, quæ ſubjiciemus. Cæterùm, inquit, ſi quando Cancrum per chirurgiam curare audebis; cœpiſſe quidem ab evacuando per purgationem melancholico humore oportebit: ubi verò totum quod vitiatum eſt, excideris, ſic ut nulla ſuperſit radix, ſecus effluere ſanguinem nec properè eum inhibebis: imò premendo potius vicinas partes, exprimes ex his craſſiorem ſanguinem: mox aliis ulceribus ſimiliter curabis. hæc ex Galeno adducere placuit, ut cognoſcat lector, quàm ad amuſſim vetera in uſum revocet auctor.*

Exul-

Exulceratis cancris ] *Diximus de cancris, qui ſine ulcere moleſtant. non alienum fuerit, ſi notas hujus in memoriam revocemus in cancro ulcerato præter dolorem, duritiem, tumoremque ulcera eroſa, ac inæqualia conſpiciuntur; plurima ex parte ſordida labris tumidis, aſpectu horrenda, & concreta humorum colluviæ ingrata: hæc medicamentis lenire ſtudet. Nos omnes ſcopos ita perſtringemus; In primis epithymo humorem melancholicum vacuato, id eſt, leniter purgato. Si ætas, viresque permittunt, ſanguinem mittito: deinde medicamentis atram bilem purgantibus, lenibus, mox validioribus utitor: victus tenuis eſto, quique à melancholico ſucco longiſſimè abſit: loco affectò ſolani ſuccum, aut medicamentum ex pompholyge adhibeto.*

℞. Olei roſacei ] *Medicamento hoc contra Achoras Apollonii auctoritate utitur Galenus, libro primo* κτ̀ τόπȣς: *à Theodorico verò, in cancris uſurpatum, unde auctor in ſuum uſum convertit.*

## DE VULNERIBUS ventris & partium ejus, cum penetratione & citra.

### Cap. IV.

QUæcunque in ventre vulnera fiunt, quæ tamen non penetrant, neque contenta in ipſo membra non lædunt; ea

ea ſi rectè curantur, periculi omnis expertia ſunt, præter illa, quæ ſecundum umbilicum, duobus aut tribus digitis, in circuitu accipiuntur, quibus nonnihil adverſi accidere poteſt, ob octo illos nervos qui in umbilicum pertingentes ea loca percurrunt, atque etiam in poſteriore parte ventris, hoc eſt à tergo, ſecundum dorſum accipiuntur, periculum adferunt; tametſi non penetrent: fieri enim poteſt, ut nervi illi, qui ex nuca ortum habent, lædantur. Ab hujuſmodi ergo vulneribus metuere conſultum erit; quippe mortem afferre interdum ſolent: à cæteris verò quamvis penetrantibus; quamvis zirbum atque. inteſtina, illæſa tamen prodentibus; nihil mali timendum eſt, ſi modò curata rectè ſint. Ubi autem membra in ventre contenta incommodum acceperint, periculum imminet; multos tamen liberari contingit. Igitur eorum, quæ nullam membris læſionem attulerint, hujuſmodi curatio eſt. Eminentia inteſtina cum Zirbo ipſo lavanda imprimis ſunt cum decoctione vini, & camomillæ, & meliloti, abſinthii, anethi, & roſarum: deinde in ſuum locum cogenda, atque reducenda ſunt. Zirbi autem portio, quæ prominuerat, adhuc etiam amplius nonnihil producenda, atque qua parte ventris cuti æquatur, funicu-

niculo tenui, & tenaci eſt colliganda eo nodo qui ab Hiſpanis ſuillus dictitatur: tenaciſſimus enim nodus eſt, & qui nihil unquam remittit. Super ipſum verò nodum dimidii digiti ſpacio Zirbus reſecetur, & ſectio candenti ferro quoad penè nodum tangat, cauterizetur, atque interius ſtatim referatur; funiculi tamen parte exterius relicta. Quod ſi apertio ipſa, qua inteſtina prodierant, grandior ſit, acu & filo conſuatur, parvo orificio relicto, qua curatio compleri poſſit. Ex quatuor autem modis, quibus partes illas mirhach, & ſiphach dictas, auctores conſuendas præcipiunt, illa nobis maximè probatur, & diuturno uſu atque utilitate commendatur, videlicet ut primùm ex altera parte mirhach, & ſiphach acu trajectis, ex altera mirhach tantum trajiciatur; atque hæc tria nodo committantur; deinde filum ſecetur, ex eademque parte unde opus inceptum eſt mirhach ſolum ſiphach relicto trajiciatur; ex altera verò mirhach, & ſiphach trajectis ſecundus nodus fiat. tertium autem punctum primo, quartum ſecundo ſimile ſit, & ſic deinceps, quoad opus perfectum fuerit: atque hoc modo mirhach, & ſiphach optimè committi ſolent, ita ut nunquam amplius inteſtina erumpere ea parte poſſint: id quod (niſi ut diximus

cura-

curatum erit.) non rarò accidere deprehenſum eſt. hæc ubi rectè curata ſint, ovorum album probè concuſſum addendum eſt: neque verò tentam adhibere eſt opus, cujus vice funiculus ille, quo Zirbus colligatus eſt, fungitur. Poſtera verò die, balſamo illo noſtro vulnus eſt curandum, cujus ad concoquendum, mundandum, carnemque inducendam vis eſt, flammulaque hoc medicamento intincta indatur, vulnusque ipſum eodem etiam liniatur, addita inſuper pecia ex ceroto minij, aut baſilico magiſtrali; utrumque enim apprimè commodum eſt: hoc autem in vulneribus magnis, atque etiam minoribus, eſt intelligendum: nam quæ anguſtiora ſunt, etiam concocta, digeſtaque eſſe tam interius, quàm exterius oportebit. Nihil verò opus erit aut roſaceo, aut alio quovis oleo uti. Tertia demum, aut quarta poſt die, funis ultro remittit. quod ſi deinceps copioſum pus non ſit, ſatis erit altero ex iis, quæ diximus, cerotis uti. Si quid autem puris erit, ſæpius, in die detergendum eſt, atque hoc modo intra decimum quintum diem curatio perficitur, In ipſo verò curationis initio, ſanguinem mittere, ſecundum ægroti habitudinem, oportebit, atque ſirupos exhibere roſatos, ex infuſione cum aqua plantaginis.

Victus autem ratio tenuis cum exiguo pane ſit; aqua verò non copioſa exhibenda eſt, eaque candenti ferro decocta. ſi verò præter vulnus ipſum ventris, ex inteſtinis ipſis aliquid ruptum eſſe contigerit, atque id ex gracilioribus ſit, quæ ad dexteram ſupra ipſum umbilicum ſunt, hujuſmodi omnia quæcumque fuerint, lethalia ab auctoribus judicantur, atque ita plerunque eſt credendum: ex quo genere unum tantum mihi hactenus curare contigit; cui gracilia inteſtina viciata fuerant; periit autem quarta die. Ex aliis autem quibus craſſiora inteſtina læſa eſſe contigit, tres curavimus inteſtino colon dicto, ſauciatos: quartum verò longone inteſtino rupto, ex illis uni tribus in locis colon ruptum erat; omnes tamen, divina ope, ante vigeſimum diem ſunt reſtituti. omnia hæc inteſtina acu, & filo conſuimus eo conſuendi genere quo chirothecarum artifices utuntur. erga omnes etiam eo curationis genere uſus ſum, quod à Joanne Vigone traditum eſt, quod omnium optimum eſſe judicamus, ſi quis rectè, atque facili manu utatur: omnia igitur illius præcepta ſecuti ſumus; illa re excepta, quòd cibum nullum exhibuimus, tantumqúe deſcripta ab eodem potione uſi ſumus, quòd ij quos curabamus,

mus, robuſtiores, & vegetioris naturæ eſſe intelligeremus, atque ad inediam tolerandam fortiores. Non enim extra Hiſpaniam adeò tenui diæta uti auderemus, ubi & cibi tenuiores multo ſunt, & corpora ipſa magis delicata, atque ad multum cibum, aut ad nullum ſumendum minus idonea ſunt. Eſt autem hujuſmodi apozema.

℞. *Pomorum citoniorum mundatorum, & ſubtiliter inciſorum numero quatuor, caudæ equinæ, ſumach, myrtillorum, ana manipulos* iij. *roſarum pug.* ij. *balauſtiarum* ℥ ß.

*coquantur in libris* xvj. *aquæ pluvialis uſque ad conſummationem tertiæ partis: deinde addantur thuris, maſticis, ſarcocollæ, ana* ʒ iij.

*croci* ℈ ij.

*& colentur, cum forti expreſſione; & addatur mellis roſati colati, & ſirupi roſati ana* ℥ vj.

*tragacanthij pulveriſati* ʒ ß.

*ſirupi myrtillorum* ℥ iiij.

*& fiat apozema.* hac potione nos pro cibo potúque utebamur, atque etiam pro medicamento, ad interiora membra conſolidanda. Quidam autem ex illis hominibus, cùm nihil aliud per totum quatriduum ſumpſiſſet; facilè tamen ferebat: poſt hæc verò coctæ in hujuſmodi aqua

avis jus tantum exhibebamus, nonnunquam & juri exiguam panis micam (panatelam Itali vocant) cùm id fieri oportere intelligerimus, addebamus, Hoc etiam modo ſacerdotem quendam curavimus, qui dum in templo eſſet, vulnus lancea acceperat, obvius factus quibusdam, qui alium inimicum in templo latitantem quærebant, eundemqúe eſſe putabant. Vulnus verò in ventre ſuperiori lateris dextri parte fuerat factum. duos etiam quoque, alterum jecore, ſplene alterum rupto curavimus. Item alium veſica rupta, qui tertia die periit, cæteri omnes Dei ope liberati ſunt, qui & ipſe medicinæ auctor auxiliatorqúe eſt. Quædam verò res digna nobis viſa eſt, quam ſilentio minimè præteriremus; namque ad divinam ſapientiam, & miſericordiam laudandam argumentum, & materiam ſuppeditare, etiam, ut omnia alia, poteſt, qui tantam naturæ vim, tantam rebus efficientiam eſſe vult. Res Guadalupæ me præſente accidit, anno à Chriſto nato milleſimo quingenteſimo decimo ſexto: ea hujuſmodi eſt. Homini cuidam, ex illius cœnobii famulis, cui paſcendarum caprarum cura erat, dum in agro eſſet, ſtulra quædam libido inceſſit calamum ſpicæ cum ſpica ipſa per propriæ virgæ meatum intrudendi;

ſpica autem arida jam granisque omnibus decuſſis erat. Narrabat autem ille nihil ſe doloris percepiſſe dum intruderet. ubi verò educere vellet, non potuiſſe, quòd ſpicæ ariſtis in carnem fixis, vehementi dolore teneretur: tandem ſe ſatius eſſe duxiſſe totam penitus protrudere, quam eam partem quæ intruſa erat extrahere, atque intra paucos dies ad veſicam uſque ſibi eſſe transmiſſam. Cùm autem per totum annum & dimidium mali nihil ſenſiſſet, in urinam converſam à ſe mictam fuiſſe putaverat. Poſt hoc verò tempus, in ſiniſtro crure apoſtemate laborare cœpit, cujus curandi cauſa ad ejus monaſterii hoſpitium, quod pauperibus curandis dedicatum eſt, venit: quo in loco dum curaretur, dumque tumore jam maturus, apertusque à nobis eſſet, accidit ut quodam die manè cum ulcus abſterſiſſemus, parvam paleam in ipſo ulcere fortè videremus. ego verò ratus eam cum filis pridie mixtam carni inhæſiſſe, forpiculis tollendam curabam, & demum calamus cum ſpica facillimè trahentem ſecuta ſunt. Attoniti autem rei miraculo nos omnes medici, atque alii qui adſtabant, quid illud rei eſſet, divinare non poteramus, donec ſenex ille noſtro rumore excitatus, caput attollens, & ſpicam mihi in forpiculis hærentem

videns, ait, Egomet mihi abhinc anno & dimidio per virgæ meatum intruſi; atque ita rem omnem, quomodo facta fuerat, & dies quibus penitus a ſe fuerat protruſa, narravit. Quo in loco ſumma nobis admiratio, ſumma divinæ providentiæ laudandæ occaſio orta eſt: namque ita Deus homini conſuluit, ut veſicæ pellis paulatim rumperetur, atque ex ruptæ ſpicam ad proximam carnem expelleret; deinde rurſus veſicæ pellis coiret, atque caro tumefiens matureſceret, & maturo tumore atque curato ſpica prodiret, & tandem ſenex ille intra pauciſſimos dies liberaretur, nam penitus ſanatus eſt.

## ANNOTATIO.

*Tractatis iis vulneribus, quæ in ſuperiorem ventrem infliguntur, ad ea quæ in inferiori ventre accipiuntur, tranſit. Hippocrates libro ſecundo de Ratione victus, in morbis acutis, ventres diviſit, ut diaphragmata ſuperiorem contineri velit; alterum omento. Chirurgi docti triplicem faciunt, ſuperiorem, medium inferiorem; qua diviſione capitis ventriculos complectuntur. vide Alphonſum Ferrium libro tertio de Scolopetorum vulneribus.*

Ab hujuſmodi ergo] *Dividenda ſunt hæc vulnera ut pectoris diviſimus: aut enim*
*interna*

*interna lædunt; videlicet ventriculum, hepar, lienem, inteſtina, aut non. Si interna lædant, funeſta ſunt per aphoriſmum Hippocratis ſexti libri. Si veſica, &c. Si non lædunt; minus ſunt periculoſa: præterea, majus periculum imminet læſa poſteriori parte: ob vertebrarum, ſpinæ, nervorumque ex ea manantium vicinitatem; anteriori parte non tantùm.*

Igitur eorum quæ] *Hæc curandi ratio ab Albucaſi traditur. adnotatu dignum eſt; omni in vulnere ſanguinis fluxionem prodeſſe: ventris verò vulnera ab Hippocrate (lib. de Vlceribus) excipi. quem locum ita explicamus; ne nobis contradicere, quæ de thoracis vulnere, videamur. Veretur Hippocrates ne dum ex vulneris oris ſanguis erumpit, aliqua ex parte ad interiorem regionem feratur. quod ubi accidat, mala affert complurima. Si quidem, ut alio loco idem demonſtrat, ubicumque ſanguis in ventrem præter naturam fluxerit; neceſſe eſt ſupperet: nam extra venas ſuam naturam retinere non poteſt, (ut Galenus ait) Quam ob rem vulnera ventris eo loco tantum accipienda ſunt quæ uſque ad ſpatium interius penetrent: quo periculum eſt, ne ſanguis ſe conferat: cætera quæ ſummam tantùm partem attingunt, nihil proprium exigunt: ſed ab imminente inflammatione, non ſecus, quàm quæ ſunt aliarum partium, fluxu ſanguinis, ſine ullo periculo vindicantur.*

Victus autem ratio tenuis] *Non ſolùm*

*victus eſt obſervandus, verùm medicamentorum etiam ratio, quæ à Galeno eſt petenda quarto methodi medendi.*

## DE VULNERIBUS Simplicibus & Compoſitis.

### Cap. V.

Omnia in univerſum recentia vulnera, quocunque in membro facta ſint, præterquàm ea, quæ in capite fiunt, à noſtratibus chirurgis imperitis, & empiricis eodem modo atque iiſdem remediis, curari ſolent, ſive ſimplicia illa, ſive compoſita ſint: tamen non inficias eo, multos in Hiſpania doctos eſſe chirurgos, quos artis peritia, ſedulitas, & fidelitas omni laude dignos reddidit; præter hos autem, cæteri plerique omnes, eodem ordine, iiſdemque omnino medicamentis utuntur; eandem inſiſtunt viam, quam prætergredi nullo modo, aut poſſe, aut debere quenquam, putant. Id adeò ex eo evenit, quòd ea quæ legerint, neque intelligunt ipſi, neque eos qui intelligunt, interrogandos ducunt, neque doctiores conſulere, neque expertos magis adire, & duces ſequi, commodum ſibi, aut honeſtum arbitrantur. Plerumque autem uſu venit, ut hujuſmodi hominibus minus ex animi ſen-

tentia curatio ſuccedat: qua in re, ubi communia illis remedia tentata omnia fruſtra fuerint, unum illud tandem omnibus commune refugium eſt, ut expoliatos pecuniis homines, diaquilone, quem illi ſocrocium vocant, dimittant; perinde ac ſi ſani omnino eſſent: atque utinam merces ipſa imperfectæ curationis, perfectiſſimæ etiam æſtimationẽ non ſuperaſſet. hujuſmodi homines cumplures vidimus, qui ſuas hujuſmodi curationes, vel corruptiones potius, nominibus etiam appellatis, nunquam prædicare deſiſtunt. Sed hujus mali culpa in magiſtratibus publicis eſt. Quodomo autem hujuſmodi vulnera omnia ab iſtis curari ſoleant, in primis fuerit nobis notandum. Igitur ſive gladio, ſive haſta vulnus factum fuerit, primam curationem punctis expediunt. Quidam autem in hoc adeò duri, crudeleſque ſunt, ut plus etiam conſuendo, quàm qui vulnus fecerat, feriendo noceant: craſſioribus enim acubus uſi, plus etiam ex carne, quàm ſatis fuerat, apprehendunt, altiusque infigunt: labra etiam vulneris non raro contorta, convoluta ubi nodos fecerint, relinquunt: cutis enim cuti, & non caro carni hoc modo committitur, propterea quòd cutem ipſam, mediam inter carnem conſtituant: nonnunquam etiam

adeo leviter, & ſummo ex margine cu tem comprehendunt, ut vulneris labra non cohæreant; nam extremis partibus commiſſis, cætera cava, inaniaqúe manent, his, atque aliis hujus generis modis, prima omnino curatio conficitur. ſi fortè verò accidit, ut oſſa aliqua ſciſſa ſint; tametſi non omnino ſoluta fuerint; ea tamen non levi hominis dolore, maximo autem detrimento penitus extrahunt, illa vulgata apud ſe malè tamen cognita ſententia abuſi, extirpare ſuperfluum: atque etiam ſi quid è carne reciſum neque penitus abſciſſum fuerit; tamen ipſi præſcindunt, aſſerentes id à natura non eſſe recipiendũ: maximè verò ſi vulnus in manu ſit, atque digitorum pars, carni & oſſibus conciſis, tamen aliqua ex parte hæreat, iſti omnino præſcindunt: fieri enim nullo modo poſſe putant, ut diſciſſa oſſa iterum cohæreant, atque hoc modo etiam ſæviunt: ſi manus qua brachio annectitur, feriatur; neque tamen omnino ſeparetur, aut pes, aut quodcunque aliud, ex totius corporis membris ſit.

Secundam autem curationem in omni vulnerum genere, digeſtivo ex roſaceo, & ovo faciunt: puncta præterea & ſuturæ, quæ ab ipſis factæ in ſimplicibus vulneribus ſunt, ita neglecta ſinunt,

quo ad ipſæ carnem ultrò dirumpant, atque ita tam digeſtivis, quàm ſatis copioſo roſaceo, aut lumbriceo oleo, adhibitis: idqúe ex eorum more, plurimis diebus, tum punctis, & ſuturis, ex ſimplici vulnere, compoſitum reddunt; atque etiam, cum magno ſubſtantiæ detrimento & jactura, ulcera efficiunt, & ob eam etiam cauſam, in vulneribus quæ ab iſtis in facie curantur, deformius cicatricum ex ſutura, quàm ex ipſo vulnere vitium relinquitur.

Poſtquam autem tot dies digeſtivo uſi fuerint, ut non concoqui, digerique ſolùm, ſed putreſcere etiam locus ipſe poſſit, plurimum, imò nimium melle roſatum ad emundandum adhibent, ſatisque largè infundunt: fila etiam & linteum cum baſilico addunt. Quod ſi vulnera (propterea quòd ab ipſis corrupta putruerint) roſato melle, neque ſatis, nec citò adeò mundantur, ſolenne eſt apoſtolorum unguentum admovere: ultimum videlicet iſtorum inſcitiæ perfugium; hoc autem longo utuntur tempore. Hujus verò unguenti cùm calida, atque exulcerans, & ad corrodendum nimis idonea vis, & natura ſit, efficitur ut humore copioſius ad locum attracto, vulnera ipſa putrida potius & ſordida quàm recentia dici poſſint; maximè autem

tem ſi victus ratio talis adhibetur, qualem nos à multis, qui in pretio vulgo habebantur, adhibitam eſſe intelleximus, quibus cùm nulla utilium, atque nocentium rerum certa, ac conſtans aut ars, aut ratio, aut cognitio ſit, proprium tantum arbitrium ſecutis, committi per ſe ſolet, ut membra ipſa ubi vulnera ſint, inflammentur, & aliis, atque aliis locis, ſponte ſua hient, & aperiantur, atque ex exiguo malo maximum reddatur. Quemadmodum autem recentia vulnera vulgo curari ſoleant, hactenus notavimus; nunc verò deinceps ut à nobis curentur, exponemus.

Omnia igitur recentia vulnera, quocunque in membro facta fuerint, ſive ea majora, ſive minora ſint, ſive in juncturis, ſive in quacunque totius corporis parte fuerint, eò, qui à nobis deſcribetur, modo parva, aut nulla ægrotantis moleſtia, exiguoque medici ipſius labore curari poſſunt, nullo etiam malorum ſymptomatum metu; ſpero autem gratam omnibus fore cognitionem rei à nobis ad hominum utilitatem inventæ, atque frequentiſſimis experimentis probatæ, Deo omnium bonorum auctore docente, in qua re invenienda, atque conſtituenda naturæ rationem ducem ſumus ſequuti: ea autem ſic habet. Si vulnus exi-

exiguum ſit, opusque eſſe videatur, ut acus officio committatur, puncta locis carnoſis, non nervoſis infigantur, ſtatimqúe ovorum album in lini tela addatur: prius autem ſanguis profluere ſinendus eſt; id enim ſi non nimium fuerit, conferre deprehenditur: nullis autem hujuſmodi parvis vulneribus, niſi in juncturis ſita ſint, flammula ulla indenda eſt, ſed conſuta, atque ovo curata commodè ligari oportuerit. Poſtera verò die hoc modo curari conveniet (dummodo in facie facta non ſit, nam de his ſuo jam loco dictum à nobis eſt) linimento illo liquefacto, ſæpe à nobis ob utilitatem appellato balſamo, vulnus ex pluma leniter inungatur: deinde nullis additis filis, emplaſtrum baſilicum, magiſtrale dictum, cujus deſcriptio apud Joannem de Vigo eſt, in linea tela extenſum, imponatur: ſequenti die pus idoneum optimeque confectum reperietur; atque hoc modo curatio procedet, quoad caro jam induci conſpiciatur; tunc autem puncta abſciſſa detrahantur, atque eodem baſilico emplaſtro ſæpius per diem abſterſo, omnino ſanabitur: quod ſi commodum viſum id fuerit, nigro vocato emplaſtro uti licebit, ſic enim quamcitiſſimè ſanabitur.

Si fortè magnum vulnus fuerit, conſuen-

ſuendum in primis eſt, eo modo qui à nobis eſt præſcriptus; ex inferiori autem parte flammula ex lino albo ovi intincta forpicula ſubtiliter indatur, addanturque ovi etiam albo intinctæ flammulæ:& deinde colligetur. Poſtera autem die, hoc modo curabitur: venam ex adverſo latere ſecato,ac per ſex,aut ſeptem ſequentes dies, ſirupum roſatum, cum plantaginis aqua, exhibeto; & ſi id res poſtulare viſa fuerit, purgato. Victu autem tenui per dies illos utitor, ut paſſulis, amygdalis, pane exiguo, pomis aſſis, aut camuſiis, quæ & cruda permittere poſſis,atque hujus generis aliis cibariis: aquam verò ex hordeo decoctam præbeto,addito etiam in dedoctione aniſo; bibat autem à prandio, & à cœna tantum. quod ſi infirmioris naturæ homo fuerit,ſemel in die pullo, aut pulla veſci poterit. Vulneris autem curatio hæc eſt; cataplaſmata primò admovenda ſunt, quæ poſtera die ubi jam tenacius hæſerint,conſuantur,atque hac ſecunda curatione, flammula balſamo noſtro liquefacto intincta ex inferiori vulneris orificio, indenda eſt; namque id medicamentum mirum in modum concoquit,expurgat,carnemqùe inducit: deinde vulnus ipſum eodem balſamo pluma leniter inungatur, deinde commemoratum ſæpius baſilicum emplaſtrum,

Mala ſunt in Hiſpania nobiliora:

ſtrum, aut id, quod Gratia Dei dicitur, in lini tela extenſum imponatur, atque ita ad ſeptimum, aut ad octavum uſque diem, curatio procedat; namque hoc tempore concoctio, expurgatio, carniſque inductio perfici ſolet. Ubi autem inducta caro ſit, & vulneris labra utrinque cohæſerint, cataplaſmata amovemus, & quod reliquum in curatione eſt, emplaſtro ex minio, aut nigro, aut leonini coloris dicto, perficimus; vel quod optimum in hoc genere eſt, æquis ex nigro & leonino portionibus commixtis, atque vulnus ipſum, & emplaſtrum decies, atque duodecies etiam ſingulis diebus oportuerit abſtergere, juxta puris confecti rationem: cicatrix verò, ut fieri ſolet, aluminis uſti pulvere, & filis ſiccis obducenda eſt. atque ubi jam cutis facta, cicatrixque fuerit deducta, locum corroborare conveniet, emplaſtro confortativo dicto, quod à Vigone in Antidotario deſcriptum eſt, namque id vehementer hac in re confert. id quod oxicrocion, quod vulgo in uſu omnibus eſt, minimè facit. Igitur eo quem docuimus modo, vulnera omnia, cum minora, tum etiam majora, facillimè citra nimiam membri ipſius inflammationem, curantur. neque verò opus eſt aut roſaceo, aut alio omnino ovo membrum inungere; namque,

ut

ut diximus, nullam nimiam inflammationem metuere eſt. Initio autem curationis, defenſivum ex bolo armenio adhibere retulerit, aut linteum aceto intinctum, addita aquæ portione dupla: id ubi exſiccatum ſit, rurſus erit intingendum.

Si in locis nervoſis vulnus factum fuerit, cujus generis manus, pedes, juncturæ, atque muſculorum capita ſunt, hoc modo curandum eſt. Cum primum recens vulnus oblatum medico fuerit, atque is nimium ſanguinis effluxiſſe deprehenderit, linteum ſuper venas extendat, manuque compreſſa fluxionem tandiu cohibeat, quoad ſiſtatur. Quod ſi parum adhuc defluxiſſe comperit, ut nonnihil amplius defluere ſinat, confert: id tum experimento, tum etiam Avicennæ auctoritate, didicimus: Fortaſſis, inquit, ſanguinis curſus, quantitate moderata, convenit in ulceribus; namque hoc modo membrum non inflammatur. Vulnera autem deinde acu, & filo committantur; ita tamen ut neque ultrà quàm ſatis ſit profundè acus infigatur, nec nimium etiam ex cute comprehendatur: ſed quatenus, ut labra aptè cohœreant, convenire videantur. Nervi verò, ſi ulli ſecti fuerint, ſimul conjungantur, coaptenturque, acu tamen non tangantur; pericu-

Supr. ex Hippoc.

lum

lum enim eſt certiſſimi in ea parte doloris, & ſpaſmus metuendus imprimis eſt: nihilo autem minus propterea curabitur; imò minus tamen membrum evadet, aut potiùs mancum, ſi nervi conſuantur. atque conſuto vulneri parvum quodquam orificiũ, ex inferiori parte, eſt relinquendum, quo flammula ovorum albo intincta ſubdi poſſit: ſuper puncta autem ipſa, lineæ telæ portiones ovorum albo ſaturæ imponantur, deinde ligatio procuretur, ſi manus, aut digitus fuerit, tabella aptanda ſic eſt, ut membrum ipſum extenſum relinquatur. Veruntamen in inferiore parte vulnus factum, nullam deſiderat tabellam: ſed ita conſtituendum membrum eſt, ut modicè contractum, & manus ipſa ſemicompreſſa ſinatur: hoc enim modo, nervi, qui ex inferiori parte* ſunt, facilius ſibi cohærebunt, namque extenſa manu, neque jungi, neque invicem poſſunt aptari. Sanguinis porrò miſſiones, quæ neceſſariæ videbuntur, procurandæ ſunt: & membrum ipſum propterea quòd nervoſus locus eſt, atque attritionibus, doloribusque ferendis opportunus; hujuſmodi defenſivo eſt muniendus.

℞. *Olei roſati, myrthini ana* ℥ ij.
*olei camomillini* ℥ j.
*boli armeni* ℥ ij. ß.

*& cum*

*& cum ſufficienti cera fiat unguentum.* Hoc admovendum eſt, ut quatuor digitis à vulnere ex ſuperiori parte diſtet; ex inferiori autem nullum eſt admovendum: nam qui ex inferiori admoverint, non leviter errabunt; deinde juxta eam quam diximus rationem, membrum ligabitur.

Secundam curationem linimentum illud ex balſamo parabit, flammula in eo intincta, atque ex orificio ſubdita, vulnereque ipſo toto, ex pluma eodem balſamo liquefacto, inuncto, atque ſuper hæc cerotum imponendum eſt latiori aliquanto lineæ telæ portione extenſum; quo in genere atque in aliis, etiam hoc omnium præſentiſſimum eſſe comperimus.

℞. *Olei roſati violati & camomillini ana* ℥ ij.
*axungiæ gallinaceæ, & medullæ crurium vituli, ana* ℥ j.
*vermium terreſtrium vino nigro lotorum,* ℥ ij.
*butyri recentis* ℥ j. ß.
*mucilaginis altheæ libram unam: bulliant omnia ſimul uſque ad conſumptionem mucilaginis, deinde colentur: cui colaturæ addantur lithargyrii ſubtiliter triturati* ℥ v.
*minii* ℥ vj.

*& iterum cum cera alba ſufficienti, fiat cerotum, addendo*

*terebinthinæ* ℥ ij. ß. *maſtichis* ℥ j.

*& fiat cerotum.* Omnibus recentibus vulneribus utile in primis eſt: atque hoc modo pus optimè concoquitur, & expurgatur, & caro demum inducitur, citra ullum periculum, aut ſymptomatis incommodum, citra omnem etiam membrorum, in quibus vulnera facta fuerint, tumorem. Ubi jam ſatis emundatum vulnus, atque caro commodè inducta fuerit, nigrum aut leonini coloris adhibeatur emplaſtrum, aut ex utroque commixtum genere: id autem ſæpius ſingulis diebus abſtergendum eſt, atque hoc modo cutis facillimè, citiſſimeque aptatur: libet autem horum quæ tantopere nobis laudatæ, atque probatæ ſunt, emplaſtrorũ compoſitiones ſubjungere.

## Leoninum emplaſtrum.

℞. *Ceruſæ* ℥ iij.

*Olei roſati* ℔ . ß.

*unguenti baſiliconis* ℥ j.

*bulliant omnia ſimul lento igne ſemper baculo agitando uſque ad punctum ceroti, deinde addatur viridis æris pulverizati* ℥ iij.

*ac etiam bulliant quoad colorem flavum, aut ſubrubeum accipiat, fiat cerotum.*

Em-

## Emplaſtrum nigrum.

*℞. Lithargyrii ℔ j.*
*olei antiqui, & aceti fortiſſimi ana ℔ ʒ. miſceanter in caccola quoad inſpiſſentur; deinde ad ignem fiat empaſtrum.*

Poſtquam autem vulnus ſanatum ſit, confortativo emplaſtro membrum ipſum corroborandum eſt, ſive manus ea, ſive alius nervoſus locus ſit, ſive pars alia quæ firmitudine reſtitutioneque indigeat: hoc autem quo nos quadraginta annos, & eo amplius uſi ſumus, tum ad hoc genus, tum ad fracturas etiam luxationes ſemotiones ac diſlocationes curandas, atque ad dolorem omnium membrorum levandum omnino utile eſſe prædicare poſſumus, cui confortaviti nomen meritò indidimus, Ejus autem medicamenti deſcriptio in hujus operis fine à nobis addita eſt.

## ANNOTATIO.

*Vulnus, & ulcus apud auctorem noſtrum differre videntur: quẽ ad modum apud Arabes (quos ſequitur) quoque diſtinguuntur. Vulnus eſſe volunt continui ſolutionum recentem, cruentam, ſine pure: ulcus vero cum pure eſſe volunt conjunctum, ut Averrois ait 2. & 3, colliget. Græci verò, & qui eorum libros latinos fecerunt; utrumq; idem ſignificare volunt,* ut

*ut legenti manifeſtum erit. Vulneris itaque differentiæ, à vario ſolutionis continui modo ſumendæ ſunt, quas quidem tractat Avicennas in ſecunda Fen. primi canonis. Illa ego adnotabo, quæ ad hujus capitis abſolutam tractationem pertinent. Vulnerum diſcrimina ſumuntur vel ſubjecti ratione (ut tertio artis parvæ* Galenus *ait) ut alia in homogenea parte fiunt; in heterogenea alia: ita auctor ſigillatim horum meminit. vel capiuntur ab eſſentia (ut tertio methodi Galenus) qua ratione vulnus ſimplex dicitur, cui nec morbus, nec ſymptoma ullum complicatur; contra compoſitum vocat, cui tale aliquid adjungitur, ut quarto methodi videre eſt. Vel ſumuntur à quantitate ejus quod ſolutum eſt, ſeu diviſum: & etiam hæc vulnera tractat auctor. verùm fucius de his noſtris ad capitis vulnera adnotationibus.*

Secundam curationem] *Non egent iis ſimplicia vulnera, quæ cùm agglutinationem tantam poſtulent, ſiccis egent, ut Hippocrates ait libro de Vlceribus.*

Prius ſanguis profluere] *In curatione vulneris ſiccare conſilium eſt, & contendere quantum fieri poteſt, ne inflammatio ſubſequatur: quæ ubi ſit, ſaneſcere plagam non patitur. quò reſpectans auctor in ea ſententia eſt, ut ſanguis vel ab vulnerato loco, vel à proximo effundatur: ſic enim futurum exiſtimavit: ut detracto impedimento;*

*facil-*

*facillimè ad ſanitatem perveniat. quæ ſententia non ſolùm eſt Hippocratis; verùm ab ipſo ingeniorum fonte adnotata Iliad. δ. αἷμ' ἐκμυζήσας, ἔπ' ἄρ' ἤπια φάρμακα εἰδὼς πάσσε, τά οἱ ποτε πατρὶ φίλα φρονέων πόρε Χείρων.*

Si fortè magnum vulnus ] *Trifariam vulnera magna, graviáque Galeno 4. methodi redduntur, nempe vel propter affectus magnitudinem, vel propter laborantis partis præſtantiam, vel propterea quod ſunt cacoëthe: cujuſmodi ſunt in articulis accepta vulnera: Vulneris igitur magnitudo, inquit cum Galeno auctor, cum virium robore mittendi ſanguinem indicat: etiam ſi qui vulneratus eſt, prorſus redundantiæ ſanguinis ſit expers: idque non ſolùm ne pars læſa, aut circumſcripta loca phlegmone tenentur, ſed ut impetum ruentis ſanguinis compeſcamus, & largius profluvium compeſcatur.*

Poſtera autem die ] *Neque tamen in omni vulnere venæ ſectio neceſſaria eſt, quia capitis vulnera, ut Hippocrates ait, ea non egent: ratio eſt in noſtris adnotati ex Hippocrate declarata. videtur que auctor ad compoſita tranſiſſe vulnera; illa enim, quia plerumque aut ſunt cum dolore, aut inflammatione conjuncta, utriuſque horum, aut alterius ſolum reſpectu, venæ ſectione egent.*

Purgato ] *Medicamento, leni, & facili, quodque humori in corpore redundanti, & membro ſauciato analogia reſpondeat.*

Si

Si in locis nervoſis vulnus] *Accuratior horum vulnerum curatio petenda eſt ex Galeni ſexto Therapeutices, & Avicennæ libro ſuæ medicinæ quarto. Certè iſta vulnera majorem diligentiam poſtulant: etenim bis ſauciatis, aut punctis ex ſentiendi, quod obtinent, acumine, inflammatio, & dolor conſequitur; unde convulſiones, febresque his oboriuntur, & delirium, ob nervorem cum cerebro communicationem & commercium, ut apud Galenum eſt libro tertio artis medicinalis. Curatio eſt communis cum ea quæ aliis vulneribus adhibetur; hoc excepto, quòd dolor ad ſe, aliis neglectis, medicum revocet. Scopi ſunt, extranea, quæ interciderunt, removere, vulneris labra diſſidentia committere: præterea commiſſa atque in unum conjuncta ſervare: quartò particulæ læſæ ſubſtantiam conſervare. cætera apud auctorem.*

## DE ULCERIBUS atque eorum curatione.

### CAP. VI.

RAri admodum chirurgi ſunt, quibus antiqua ulcera curanda ſuſcipiantur, multi verò quos eorum curandorum ratio omnino fugit; inter Hos autẽ nonnulli ſunt, quibus ubi aliquod fortè hujuſmodi ulcus occurrit, eum qui patitur omnino non curari ſuadent, atque il-

lam ad perſuadendum cauſam afferunt; fore, ut ſi ulcus illud ſanatum, concluſumque ſit, cùm tam ſit antiquum, humor ea parte effluere, atque expurgari conſuetus, in aliam corporis partem influens, vehementius multo noceat, atque mortem etiam afferat. quæ quidem iſtorum opinio, atque ſententia, nulla alia re, quam curationis ignoratione nititur: etenim quamvis verum omnino eſſet humorem, qui ad eam partem confluit, aliò derivatum incommodum maximè fore; tamen in eo vehementer errant, quòd fieri poſſe putent, ut humore ipſo non purgato, & correcto, ulcus omnino conſolidetur. Nam niſi purgetur humor, eam quam tot annis tenuit dedoceatur, niſi aliis etiam beneficiis, & remediis corrigatur: ulcus ipſum obduci, committique minimè poteſt: quod ſi obducatur, ſtatim deintegro aperitur. quidquid enim ſuperflui noxiique humoris in corpore eſt, ab omnibus aliis fortioribus membris; ad illud omnium infirmiſſimum, & debiliſſimum expellitur: atque hæc ratio ad eos qui hujus ſententiæ ſunt redarguendos ſatis idonea. Eſt & aliud chirurgorum genus, qui vulgo empirici dicuntur. hi cùm more ſuo ex aliis in alia loca vagentur, aliam ſequuntur viam, ſuis ipſorum com-

commodis, magis quàm ægrotantium utilitati idoneam: nullum enim ulcerum genus, ſive cancroſa, ſive ſordida ſint, ſive omnino incurabilia, iſtis offertur, quod non facillimum, & breviſſimum ſibi curatu fore jactent, & promittant: certum autem tempus ad curationem perficiendam, idque non longum ſtatuentes, de mercede prius cum ægrotantibus decidunt, & conſtituti precii dimidium ad paranda unguenta, aut ad alias opportunas res initio exigunt. quod ubi coactum ſit, nullo remedio adhibito aliò migrant, atque omnia mala hæc una ignoratio efficit. ſiquid autem hujuſmodi chirurgi omnes efficere conantur, eandem omnes inſiſtunt viam, iiſdem remediis omnia in univerſum vulnera curant: quam ob rem operæpretium facturi viſi ſumus, ſi eum modum quo à nobis hujuſmodi curari ſolent, doceremus: qui modo diuturno jam, & certiſſimo uſu, nobis conſtat. Univerſam igitur ulcerum rationem quatuor intentionibus compleri ſtatuimus (purgationis imprimis obſervato uſu, namque hæc pars omnino neceſſaria eſt, & non ſemel, ſed ſæpe etiam repetenda.) Deinde & victus rationem temperatam, cibis potibusque idoneis, haberi oportet. Intentiones autem illæ ſunt, imprimis ulcus

ipſum, ſi res poſtulare videtur, eſt concoquendum, hoc eſt, idoneis digeſtivis utendum, ut in nervoſo loco ex ovo, & terebinthina, in carnoſo verò, ex roſaceo, & ovo: cavendum autem ne hæc quam digeſtionem vocamus, ad multum uſque tempus producatur. ſatis fuerit tamdiu concoxiſſe, quoad optimum pus album, atque æquale confectum ſit. Secunda verò intentio mundificatione completur: hanc autem mundificationem varia, pro variis ulcerum conſtitutionibus, abſtergentia remedia efficiunt: nec enim omnia omnibus apta ſunt. Tertia autem intentio, opportune carnis inductione præſtatur. Quarta porrò conſolidando fit, ad eamqúe rem, aliis atque aliis rebus opus eſt. juxta aliam atque aliam ulcerum, affectionumqúe rationem: illud tamen omnibus ulceribus commune eſt, ex Galeni ſententia, quòd quocunque in tempore exſiccantia poſtulant medicamenta, atque abſtergentia, namque omnia in univerſum ulcera, duplici humiditatis vitio abundant: altera humiditas craſſior, ſubtilior altera eſt. hæc vitia niſi corrigantur, ſanari ulcera non poſſunt: operæpretium eſt etiam cavere, ne hujuſmodi exſiccantia medicamenta, quibus ad curanda ulcera opus fuerit, nimis calida ſint, ne membrum ipſum

Exſiccantia ulceribus poſtulant, medicamenta.

Nota.

ipſum plus æquo calefiat, cujus immodicæ affectionis ſignum erit, locum eum quo ulcus ambitur, inflammatum, atque rubicundum, aut lividum eſſe: neque verò minus fugiendum eſt, ne nimium etiam frigidis utamur medicamentis, ſi quæ hujuſmodi adhiberi oportuerit; namque nativus calor hoc genere debilitatus, membri atque ulceris corruptioni occaſio eſſe poteſt. hujus autem rei illud ſignum eſt, quòd ipſe circum ulcus membri color nigrior, atque obſcurior exiſtat. Multæ porrò horum omnium ulcerum ſpecies ſunt; alia enim corroſiva, virulenta alia; quædam putrida, quædam etiam ſordida, nonnulla cavernoſa: dolorifera verò alia ſunt, & quæ præterea multa alia diſcrimina horum legimus, & experimur. Neceſſe etiam chirurgo eſt, ut dolorem afferro quàm maximè fugiat. Cave (inquit Avicenna) à dolore, quia nihil eſt æquè cauſa apoſtematis ut dolor. itaque cavere oportet, quemadmodum nullus neque medicamentis, neque manibus ægroto dolor afferatur. quam quidem ob rem, nos ex quo hanc artem exercemus, nullo unquam cauſticorum genere uſi ſumus, quòd ejuſmodi cuicumque loco adhibeantùr, non levem afferre ſoleant dolorem: ex dolore verò attractio, ex

attractione membri ipſius debilitatio, atque malæ qualitatis affectio conſequitur, ob confluentem eum in locum humorum nimiam atque etiam noxiam copiam.

Igitur in hujuſmodi corrodentibus, & virulentis ulceribus, qui modus à nobis ſervari ſolet, hic eſt: Principio ægrotus commodè purgandus eſt. deinde ulcera, ſi antiqua non ſint, ſed ab anno aut minori etiam tempore inceperint, cura nobis eſt ut pulvere illo Joannis de Vigo emundentur, quo pulvere pluribus etiam diebus; ſemel in unoquoque die, utimur, additis filis, & unguento baſilico impoſito: ſin verò calida vlcera ſunt, ſuper pulverem & fila lithargyrium unguentum imponimus, atque hoc pulvere tandiu utimur quoad vlcus expurgatum, mundatumque ſit; quam rem ipſa carnis facies, ipſe etiam color facilè indicat: eſt enim rubicundus, atque ſplendens in carne color, & in qua granoſum quid ad mali punici granorum inſtar apparet: viſitur etiam pus, idque & purum, & commodum. Præterea & illo etiam argumento dignoſcitur, cùm emplaſtrum ab ulcere removetur, ſi pulvis ipſe unà cum filis ulceri inhæreat, & quod inde emanat pus, exiguum, aut ferè nullum ſit, & defluentis ſalivæ inſtar habeat: ea res

mun-

mundationis, & puritatis in ulcere indicio eſt. Hoc autem modo conſtitutis ulceribus, emplaſtrum à nobis leonatum dictum, lino extenſum imponimus, cujus vis eſt, ut ſi quid reliquum fuerit, expurget, neque carnem ultrà quàm par eſt, excreſcere ſinat, atque etiam cicatricem mirè inducat. hoc ſæpius in die eſt abſtergendum: maximè autem ſi humorem ab ulcere exuxerit. In univerſum autem, hoc cerotum frigidis ulceribus, aut in frigidiori membro conſtitutis prodeſt. Quòd ſi calida ulcera ſint, in hujus quod diximus ceroti vicem, nigrum emplaſtrom adhibemus, quod optimum profectò in hoc genere: id autem ſæpe etiam abſterſiſſe retulerit. Si carnem excreſcere contingat, aluminis uſti pulvis inſpergatur, additis etiam ex lino filis: ſed quo die pulvere utimur, ſemel tantum eodem die curamus. Atque hoc modo ulcera, quæ neque antiqua, neque calloſa ſunt, curari commodiſſimè ſolent. Si verò hujuſmodi ulcera nimis antiqua, aut calloſa, & mali habitus ſint, atque intemperantibus inſunt hominibus, ægrè jis quos diximus modis curatata ſanabuntur; aut ſi accidat id, longiori etiam tempore fiet, maximè ſi ex morbo gallico nata fuerint, ut ex his pleraque eſſe ſolent. Certiſſimus

Cerotum in locis frigidis

Nigrum Emp. In locis calidis.

igitur ad hujuſmodi curanda ulcera modus eſt igni, cauterioque uti, reſciſſa, prius omni mala carne, quæ in illis eſt, at latentibus cavernis, ſi quæ ſunt, apertis & manifeſtatis, atque labris ipſis etiam circumciſis. Neque verò ad hanc expediendam rem ægrotum alligari, aut à pluribus teneri opus eſt: ſed hac ratione agere conveniet, ſive in crure, ſive quacunque alia in parte ulcus fuerit, corpore imprimis commodo medicamento purgato, in ſedili quopiam oblongo eques conſtituatur ægrotus, crure, in quo ulcus fuerit, ſuper ipſum ſedile extento, pone ipſum verò ægrotum, homo alter eques etiam ſedeat, cujus cruribus ægrotus capite & cervicibus atque etiam humeris incumbat, brachiáque eidem tenenda committat; tertius autem homo quiſpiam femori ægroti eques etiam inſideat, & tibiam ipſam manibus teneat, neque ullo alio homine opus erit: cauteria verò craſſa ſunto, quantus eſt pollex ad oſſis olivæ inſtar conformata, quæ olivaria dicuntur, quibus ulcus quantum opus eſſe videbitur. inurendum eſt: ſed tertio alio cauterio in fine eſt utendum teſſeræ inſtar quadrato cæteris etiam majore, quo ulceris labra, atque partes in ipſo omnes coæquandæ, complanandæque ſunt, hoc ubi expeditum ſit, complures

plures

plures lineæ telæ partes ovi albo atque roſaceo intinctæ adhibeantur, ſuper eas verò pulvilli, exicrato ſaturati, & pugnis deinde expreſſi addantur: in membro autem ipſo, ex ſuperiori ulceris parte defenſivum ex roſaceo, bolo armenico & cera apponatur, aut pro eo linum triplum, aut quadruplum oxicrato madefactum, atque expreſſum. quod ubi exſiccatum ſit, rurſus eſt intingendum. Poſtridie autem quam hæc acta ſint, ovorum albo & vitellis cum roſaceo concuſſis & commixtis lineæ telæ portiones complures intingantur, & ulceri imponantur, addito etiam, ut ſuperius diximus, defenſivo: hoc verò medicamento duobus tantum diebus utimur: deinde autem butyrum ſatis abundè in lino extenſum, bis ſingulis diebus quoad ſcara aufertur, adhibeatur. Scara demum ſublata, digeſtivis ad concoctionem utendum eſt: ſi locus carnoſus eſt, ex roſaceo & ovi vitellis digeſtivum fit: ſin nervoſus fuerit locus, terebinthinam addi retulerit, quatuor ad ſummum diebus vulnus probè digeritur: quod deinde pulvere Joannis de Vigo expurgatur, namque is pulvis & craſſiores, & tenuiores etiam materias commodè emundat, idque adeò ſine dolore fit; ſi tamen pulvis arte ſit confectus: pulveri autem ipſi

Melius & citiſſime ſcara aufertur, ſi loco butyri vitello & oleo roſaceo utaris.

fila ſicca ſuperindimus, & lineam ex minii ceroto quadratam peciam addimus; id enim, aut ejus vice baſilicum, optimum hoc in genere, atque opportuniſſimum eſt: poſtquam verò ſatis mundificatum ulcus fuerit, illud noſtrum leonatum dictum, ad carnem inducendam, atque cicatricem obducendam, apprime utile fuerit, addito aluminis uſti pulvere, cùm caro jam excreverit, filis puris impoſitis, & ipſo ceroto leonato ſuperinducto: ad eam etiam rem nigrum emplaſtrum confert, utrumque enim mirum in modum mundificat, commodamquée inducit carnem: utrumvis autem adhibueris, ſæpius per diem abſtergendum eſt. Porro putrida aut ſordida ulcera cauteriis etiam optimè & breviſſimè curantur, omni putrida & ſupervacanea carne, quæ in eis invenitur, prius abſciſſa; quemadmodum in ſuperiori curatione dictum nobis eſt. namque naturalis ignis vis multa in hujuſmodi curationibus utilia efficit (potentialem enim ignem ut longè naturali minoris, deteriorisque efficientiæ & majoris interim detrimenti, gravioris affectionis cauſam minus probamus) etenim qui à potentiali igne dolor affertur, gravior multo, & diuturnior eſt: qui verò ex naturali igne accipitur, vehemens qui-

De cauteriis ſilce. Actual. & potential.

quidem ipſe eſt : ſed tandiu tamē ſolummodo durat, quandiu actu membrum adurit; quæ verè à nobis naturalis ignis utilitates obſervatæ ſunt, nam & membrum ipſum, cui adhibetur, vehementer cum primis confortat, atque natam, & reſidentem in eodem membro affectionem malam corrigit, complexionemque rectificat; corruptionem etiam, ne ulterius procedat, prohibet, & coërcet, materias inſuper, & fluxiones malignas, atque corruptas exugit, & ſiccat. denique venenum extinguit, venenoſasque fluxiones exhalari cogit, quemadmodum & in furenti anthrace fit. Atque in carcinomenis & eſtiomenis, ſi id quod malum, mortificatumque eſt, præcidatur, & cauterio actuali locus inuratur, id quod malignæ, & corruptæ affectionis in membro eſt, ab eo quod bene habet, ſecernitur, & membrum ipſum magis vigens, meliorisq; affectionis redditur : id ipſum autem & in ulceribus ubi corrupta oſſa fuerint, efficitur : quæ ſi comburas, corrupti oſſis partem omnem, ab ea quæ ſana eſt, natura ſecernit, Septimus autem ignis effectus eſt, quòd ea, quam efficit ſcara, ſanguinis fluxionem cohibet. Octavus verò uſus in frigidis apoſtematibus aperiendis eſt, namque actualis cauterii ignis, nativum membrorum,

in quibus apoſtemata ſunt, calorem corroborat, & adauget. Nonus ignis uſus à Meſue, & Arnoldo traditus; à nobis verò frequenti admodum experimento obſervatus eſt, eas fluxiones quæ à capite in oculos, atquę in pectus aliquando deſcendunt, divertere; id enim præſentiſſimè efficitur, cauterio in coronali commiſſura inuſto, aut ardenti acu ſeta cervices ſuper nucam trajecta. Decimus ejus ignis uſus ad fiſtulam quampiam amplificandam, calloſitatemqúe auferendum eſt. Undecimo autem valet ad rotunda, & calloſa ulcera in aliam figuram curationi commodiorem conformanda. Duodecimo etiam ſi quid ſuperfluæ, & malè exuberantis carnis in eſt, commodè igni exuritur, defluxiones præterea, quæ oculos infeſtare ſolent, temporibus cauterio uſtis ſiſtuntur: ac denique ſi quid mali, & nocentis humoris ex alio in alium locum vitiosè fluit, commodiſſimè derivatur igni: quæ autem à nobis de ignis uſu, partim ex auctorum lectione, partim ex longo experimento, cognita obſervataque ſint, in unum congeſta, hoc in loco ſcribere libuit, quòd & quorundam in legendo negligentiæ conſulere, & hujus curationis rationibus abunde ſatisfacere cupiebamus.

## ANNOTATIO.

*Quum de vulnere diceremus, explicata eſt ulceris natura; nunc illud indicaſſe ſufficiat, habere ulcera, ut alia affectionum genera, duplicem cauſam, antecedentem (ut vocant) & conjunctam: ut ſi ex vulnere male tractato ulcus remaneat; aut ſi victus intemperatiore ratione in aliquo membro illud erumpat, ut multis locis Galenus. conjuncta eſt cauſa, intemperies illa, quam malitiam complexionum vocant Arabes.*

Univerſam igitur ulcerum curationem] *Multa hic dici poſſint de ulceribus, eorumque curatione, quæ abundè à Galeno ſunt explicata libro 3. & 4. methodi medendi, eòque lectorem remitto; nam ulcerum variæ differentiæ, diverſæ cauſæ, & varia curandi ratio hoc compendio tradi non poſſunt, nedum perfectè doceri.*

Purgationes omnino] *Plerumque ægrè ſanabilium, & rebellium ulcerum cauſæ ſunt hæ: aut ſubjectæ carnis intemperies; aut confluentis ſucci vitium; aut ejus quod ad partem affluit, copia: ut Galenus adnotavit quarto methodi, quæ omnes cauſæ, purgatione ſi non tolluntur, certè minuuntur.*

Quarta porrò conſolidando fit] *Et quia duplex excrementum in ulceribus redundat (alterum tenuius, quod ſanies, Græcis* ἰχὼρ *dicitur, alterum craſſius quod ſordes*

*vocant) fit ut duplici curatione opus ſit: etenim ex tenui ulcus fit humidum, quod ſiccantibus opus habet: alterum ex craſſo ſordidum, quod detergentibus indiget.*

Multæ præterea ] *Omnia talia dyſepulotica Galenus nominat: quæ nunc tractat auctor, cacoëthe dicuntur: ſunt enim ægrè ſanabilia, doloſa, malefica, contumacia. atque hæc cùm inveterata ſunt, chironia, & telephia nominantur. Quorum omnium ulcerum tractatio & diffinitio à Galeno eſt petenda 3. & 4. methodi, ex Celſo, & Ægineta. addo his ulceribus quæ Avicennas ægrè ſanabilia, occultam quandam nobis proprietatem habere dicit. Hæc enim, inquit, neque putrida ſunt, neque corroſiva, neque ambulativa; ſed ſunt neutrius diſpoſitionis plana, claudentia ſe, & recidivantia ſæpe, & rurſus ſe aperientia, & renovantia.*

## DE VULNERIBUS CAVERNOSIS.

### Cap. VII.

CAvernoſa dicta ulcera, plerumque ex tumoribus præter naturam, & magno aliquo apoſtemate fiunt, quæ plus juſto maturari permiſſa, vel acuto, vel cauterio aperiuntur, atque lichinus ovorum albo intinctus inditur, deinde digeſtivum ex vitello ovi, & roſaceo quo-

quotidie adhibetur; præterea ad mundificandum roſato melle lichini ſaturi intruduntur, baſilico unguento aut alio, ex ijs quæ in uſu ſunt, ſuperpoſito; curantur autem, ſingulis diebus ſemel, aut ad ſummum bis: cùm verò curatur, lichinis extractis, & pure quod interius fuerit expurgato, rurſus obturantur. atque hic curationis modus tamdiu prolatatur, quoad à tædio jam affectis, ægrotus inſanatus relinquitur, quem ut honeſtius dimittant, ceratum linteum diaquilone majori, aut ab aliis armoniacato diaquilone extenſo, imponitur; (cum tamen an hoc an illud noceat, an conferat, planè ignoretur) atque hac re integra ſanitas ægrotantibus promittitur, juſſis id ceratum bis uno quoque die repurgare, & abſtergere. Hoc autem modo curata quædam ſanari non poſſunt, quædam & ultra annum protrahuntur. Fiunt etiam & ejuſmodi cavernoſa ulcera ex vulneribus recentibus, & nervorum puncturis, atque in carnoſis quoque locis, non bene curatis vulneribus, ſæpe facta fuiſſe vidimus: atque ex ſimplici vulnere, eoque parvo, non ſolùm magnum, & carnoſum ulcus aliquando evaſiſſe conſpeximus, ex quo nimium puris deflueret, ſed qui hujuſmodi paterentur, ethica tandem febri correptos periiſſe.

periiſſe. atque eò noſtræ res redactæ ſunt, ut cùm hæc omnia committantur quotidie; minus tamen curæ iis ſint, quibus maximè eſſe debuerunt; id adeò ob noſtra hominum ſcelera, evenire arbitror. Quemadmodum autem hujus generis cavernoſa ulcera curanda ſint, cum ab aliis antiquis, & novis auctoribus, tum à Joanne Vigone rectè, & dilucidè præceptum eſt, atque omnia eo modo quem ille docuit, optimè curantur. In primis enim duo mundificantia medicamenta proponit, quorum alterutro ulcus, per parvulum clyſterem lavari poſſit: deinde & abſterſivo, ordei decocto, & roſato melle compoſito; hinc aliquo eorum quæ carnem inducere poſſunt; ac tandem ligatione, eo modo quo à nobis dicetur, additis omnia ſanantur citiſſimè, & cavitates, & cavernæ cohærent, & caro carni committitur. Atque nos quidem hac Joannis Vigonis curatione uſi innumera ferè hujuſce generis ulcera ſanavimus. Verum enimvero cùm hoc modo, atque his lotionibus à Vigone deſcriptis, hæc antiqua ulcera quamvis calloſa, quamvis puri faciendo, atque emittendo longo habitu aſſueta, ſanari facilè poſſe videremus, neque quicquam in ea re exceſſus eſſe; alium curandi modum faciliorem

multo,

multo, atque breviorem excogitavimus, quo in apoſtematibus, cùm primum aperiuntur, uteremur; qui modus ex divino beneficio optimè, atque omnino ex animi ſententia ſucceſſit: id quod, quicunque in curandis apoſtematibus experiri voluerint, non ſine magna voluptate certum, atque facillimum eſſe probabunt: nam tertio, aut ad ſummum quarto die omnis illa apoſtematum cavitas commiſſa, atque conglutinata curatur, nihilque hians relinquitur, præter apertionem, quæ arte facta eſt, quo pus deflueret, atque exprimeretur. idque nullo aut ægrotantis periculo, aut labore, aut alia difficultate; etiam ſi magnus tumor ſit, multiſque cavernis excavatus. ea autem curatio hujuſmodi eſt. Si tumor, vel exitura, ſive apoſtema magnum fuerit, imprimis optimè aperiendum eſt, ita ut minimus digitus orificio indi poſſit: omne verò opus, quidquid intus contineatur, defluere permittatur, atque loco ipſo leniter comprimendo, expellatur; quanquam communi ſcribentium præcepto hoc repugnare videatur. manifeſtum enim rectè rem cogitantibus eſt, pus retentum magis quam ſi omnino evacuetur, nocere poſſe: namque natura pure interius interjecto, carnem cuti committere, & conglutinare nequit.

Igitur

Igitur pure expulſo, lichinus ex ſtupa confectus, & craſſus quantum eſt orificium, quo pus defluxerat, indatur. Super hoc autem pulvillus imponatur, ac deinde ligetur, atque ad poſterum uſque diem ſinatur. Poſtera die ligatura ſolvitur, ulcusque omni ſi quod ſubeſt, pure expurgetur, deinde fiſtula ex plumbo orificio indatur, quantum ipſum orificium eſt, qui ad cavitatem uſque pertingat, neque ulterius adigatur. Super hæc cerotum linteo extenſum, ex baſilico admoveri poteſt, foramine ad ipſum oſculum facto, quo & plumbum contineatur, ne excidat: deinde ex utroque cavitatis latere, ſinguli pulvilli triangulares ponantur, ita ut totum cavitatis ſpacium utroque pulvillo impleatur: ulceris verò orificium, qua plumbea facta fiſtula eſt, liberum relinquatur, neque pulvillis obturetur, neque ligatione occupetur, quo omne, quod intus fuerit, pus expurgetur, tum vitta (quæ biceps dicitur) locus, pulvillis contentus, colligetur mediocriter comprimendo, ita ut ægrotus non doleat. Ligatio autem à remotiori ulceris parte inchoanda eſt, leniter premendo, atque pus quod intus eſt, orificium verſus adigendo: vitta autem utraque manu in utramque partẽ involvenda eſt: atque hoc modo pus omne ex-

exprimitur. ſic verò ligatum ulcus, in poſterum diem relinquatur, quo die ſoluta ligatura, quantum cavi relictum fuerit metimur, ut pervideamus, nunquid loci ſit quò pulvilli non pertigerint: namque omnia quæ pulvillis triangularibus ſubjecta fuerant, conjuncta jam, & conglutinata invenientur. hæc ubi inventa ſint, rurſus pulvilli eodem modo, & loco non permutati, ſed ut antea jacebant, repoſiti ligabuntur, atque ad poſterum uſque diem relinquantur; eodem enim die omnia optimè cohærere, conjunctaque eſſe deprehendentur. quòd ſi nonnihil humoris, aut puris aliquo in loco relictum eſſe videatur, eo pulvilli vitta reſerandi ſunt, quorum uſu eodem utantur, & pus exprimetur, & locus ipſe hians coaleſcet, & committantur partes omnes optimè. Hæc autem ubi hoc modo curata, atque obſervata fuerint, pulvilli triangulares illi amoventur, atque ulceri ipſi linum, leonato ceroto, aut aliquo alio quod commodiſſimum judicetur, imponatur: hoc autem ſingulis diebus ſepties, aut etam octies abſtergendum eſt. atque hæc optima, & certiſſima ulcerum hujuſmodi curandorum ratio eſt, quæ nunquam, ſi rectè adminiſtrata fuerit, medicum fallat: neque aut dolore, aut difficultate aliqua ægrotus afficietur.

ficietur. qua in re, nos longo atque aſſiduo experimento teſtari verè poſſumus, innumera ferè ejuſmodi ex tumoribus præter naturam effecta ulcera cùm primum apoſtema adapertum eſt, curare cæpiſſe, & exitum ipſum ſemper è ſententia eveniſſe, etiamſi ob nimium puris defluxum nobis foret contendendum. Aliorum verò antiquorum ulcerum, ille quem præſcripſimus, curandi modus optimus, præſtantiſſimusque eſt: nam cùm ob diuturni mali cauſam, calloſa interius illa & fiſtularum inſtar ſit, & locus ipſe totus peſſimè habeat, ejuſmodi curationem maximè requirunt. Poſtquam autem ulcus ſanatum fuerit, ceratum ex confortativo, quo membrum ipſum reficiatur, addendum eſt; atque hoc tertio quoque die amotum, & ſudore abſterſo, denuo eſt reponendum, quoad membrum in priſtina ſanitate & vigore confirmatum ſit.

Quæ verò minora apoſtemata, ſive exituræ fuerint, hoc modo quambreviſſimè curantur. Cum primum ferro inciſa, apertaque fuerint, lichinus ſtupeus ovi albo intinctus indatur; qui poſtero die aufertur: deinde leonatum, ſive medium cerotum in lino extenſum, imponatur, atque ulcus decies, aut etiam pluries ſingulis diebus abſtergatur: hoc enim

enim modo breviſſimè ex divino beneficio ſanatur.

## ANNOTATIO.

*Cavernoſum ulcus, quod ſinuoſum* Latinè *vocant, eſt cujus orificium ſtrictum eſt; profunditas verò latior: multóſque anfractus habet, & cuniculos, citra tamen calloſitatem, & duritiem, qua ratione à fiſtula differt: ſemper enim eſt cum duritie & callo conjunctum.*

Plerumque ex tumoribus præter naturam ] *Cauſas tradit auctor ejuſmodi ulcerum, quæ aut ſunt abceſſus, ſive ſuppurantis affectus tardius diſſecti, & vulnera perperam curata: vulnera inquam quæ tereti, plano, rotundo potiſſimum telo fiunt, ut ſenſit* Hipp. *lib.* περὶ τρωμάτων. *Pus namque longo nimis ſpatio in ſuppurato abceſſu, aut in profundo vulnere, quod non ritè expurgatur, retentum ac de liteſcens, malignitatem, ac veluti acrem ac erodentem naturam acquirit, & cuniculos tandem molitur, qui difficile admodum carne impleri, & glutinari queunt: ad affectam namque partem, quæ jam imbecillitatem contraxit, undique ex circumfluentibus ac vicinis partibus, imò ab univerſo corpore ſupervacanei humores confluunt: atquè ita ægrè ſanabile redditur ulcus.*

Quam

Quamquam communi ſcribentium præcepto] *Docet auctor hujus vulneris chirurgiam, quæ ratio eſt Galeni, Aëtij, Pauli, Guidonis. Etenim ſinus qui deorſum vergit; aut ad latus declinat, vel intrò fertur: ſi inquam illi ſitum dare non poſſis, quo liberè ſanies effluat, nihil promovebis unquam, ſive carnem generare, ſive glutinare velis, niſi prius collectioni purulentæ effluxum molitus fueris, nempe facto, ut auctor docet, in imo ſinus vulnere, vel tota cavitate diſſecta. Verùm adnotandum eſt, non ſemper hanc chirurgiam locum habere: quando videlicet plaga in ſinuoſo ulcere fieri non poſſit, nec commodè diſſecari: atqui tunc recurrendum eſt ad detergentia, ut Galeni exemplo docemur ſecundo ad Glauconem, quo loco melicrato utitur Galenus, nunc vino cum eo.*

## DE ULCERIBUS capitis quæ aut ex tumore ſcirrhoſo naſcuntur, aut ex morbo gallico cum oſſis corruptione.

### CAP. VIII.

VLcera capitis, quæ maxima ex parte fiunt ex tumoribus ſcirrhoſis morbi gallici cauſa ſubortis, ſuper ipſum pericranium conſiſtunt: cui quoniam eſt nervoſum, & minij ſenſus, & cum dura me-

menynge copulatum, dolores inferunt permagnos. præterea ejuſmodi tumores, ſeu apoſtemata cùm circa cranium verſentur, humorque ex quo pendent, craſſus ſit, frigidusque, ac gravis naturæ, extemplo corrumpit ipſum ante maturationem, & ubi pus eſt generatum. factòque deinde pure, aut ſponte rumpi ſolet apoſtema, aut opera chirurgi eſt aperiendum. Curationis methodus ſi os corruptum fuerit, quod peritus artifex facilè cognoſcet, contactu ſolo, abſque aſpectu, ac per hoc quod pateat, ſine pericranei detectione. Conſentaneum enim eſt rationi, humore putri ſuper os ipſum incumbenti, præſertim longo tempore, ut in ejuſmodi fit malis, ejus fieri corruptionem. quod ſi ita habeat, oportet cranium manifeſtare, aperto apoſtemate crucis in modum, ſecundum ejus totam longitudinem: deinde formandum eſt ulcus ſuis linimentis, ſeu lichinis in albumine ovi & oleo roſaceo ſubactis, madentibus, ita ut fortis fiat compreſſio, ad hoc ut cranium, quod ſupponimus eſſe corruptum, maneat detectum. Altero dic adhibeatur medicamentum maturans, ex vitello ovi & oleo roſaceo, cum modico croci: muturatóque ulcere, quod quatuor dierum ſpatio fiet, intendere oportet ſtatim ad

cor-

corrupti oſſis extractionem: quod ad hunc modum efficiatur. Ponatur vitrioli Romani uſti pulvis ſuper cranium corruptum omni ex parte: verùm caveas ne ulceris labra nimium attingat qua parte caro eſt; deſuperque apponantur linimenta ſicca quæ totum ulcus repleant, ne labra coire valeant, quæ volumus manere aperta, diductáque. pulveris hujus appoſitio fieri debet quotidie, quouſque denigrari videatur cranium: quo denigrato, procuranda eſt ejus emollitio, ut prompté decidere poſſit; quod fiet optimè, ſi ſingulis diebus linimenta ex oleo roſaceo cranio admoveantur ipſi; reliquum verò ulcus linimentis aridis repleatur: ac ſuper omnia hæc unguentem baſilicum in corio extenſum cooperiatur. Fient iſta quidem, donec os undique ſeparari videatur, quod quidem deprehendes, ſi forpiculis contrectatum, circum labra undique ſectum apparuerit. Hoc tempore curari debet balſamo illo, quo tractatione de vulneribus capitis uſi ſumus, inuncto oſſe pluma, ſeu calamo, in eo ad ignem liqueſcenti intincto; hoc namque linimentum carnem producit inter os corruptum, & ſanum: qua in medio creſcenti paulatim os ſublevari ſolet. quocirca neceſſarium eſt, in eo interim

interim temporis ſpatio, & ſuis intervallis, os illud ferramento aliquo prehenſare, fortiter quidem, nam levis apprehenſio non ſatis eſt, ob ejus difficilem ſeparationem, donec foras egrediatur. Oſſe deinde egreſſo, ac perſeveranti curatione, cum prædicto balſamo, & ulcere cum aridis linimentis pleno, ac de ſuper appoſito emplaſtro, ex gummi elemij, aut de minio, perfecta ſuccedet ſanatio. Verùm ſi præfatum ulcus inveteratum fuerit, & inſcitia chirurgorum, ut ſæpe uſu venit, totum cranium corruptum ſit, adeò, ut dura menynx, tum craſſa materia, tum carne ſuperflua, valde ſordida ſit; oportet ejuſmodi ulcus pulvere Joannis Vigonis curare ad eum modum quo reliqua ulcera. Cæterùm ne hujuſmodi pulvis dolorem inducat, ob id quod caput princeps ſit, & multi ſenſus; expediet eum, ſequenti ratione, præparare prius.

℞. *Ioannis Vigonis pulveris* ℥ ij.

*in mortario ſtanneo in quo aquæ roſaceæ* ℥ j.

conjecta quoque ſit: piſtillo agitentur paulum, ac deinde effuſa aqua ſtatuatur mortarium ad ignem, donec pulvis deſiccetur, iterumque æquabili aquæ quantitate injecta, ac cum pulvere in mortario agitata, effundatur aqua, & deſicce-

tur pulvis ad ignem, ut antea. Pulvis dictus admoveri poteſt menyngi duræ, tutò admodum; atque hoc mundificabitur ad unguem. quod ſi fortè acciderit, quemadmodum ſæpe contingit, ut intra cranium, & duram menyngem, multum pus ſit collectum, ob communionem mutuam, inter pus cranio inſidens, & id quod per cranium corruptum, ad membranam accedit, quemadmodum ego vidi in quatuor ægrotantibus hominibus, oportet tunc eorum compreſſis naribus jubere ut cohibeant reſpirationem ter, quaterque ſingulis diebus, ut pus, illud foras egrediatur è duramenynge. atque ita fieri expertus ſum cum fœlici ſucceſſu, exhibito interim decocto ligni Indici ſecundum eam methodum quam mox dicemus capite de Morbo gallico.

## ANNOTATIO.

*Si ulcera à vulneribus differunt, quòd hæc cruenta, recentiaque ſint; illa diuturniora, magisq; purulenta; methodus curandi tantum differet, quanto ulcera vulneribus ſunt magis humida: unde majori etiam deſiccatione egent. verùm cùm non nuda ulcera proponat auctor, ſed compoſita; compoſita ſunt tractanda methodo: ſi morbi gallici vitio oriuntur, in hepate*

*pate eſt hujus mali prima labes: ergo venæ ſectionæ & purgatione vacuandus maleficus humor eſt; atque ad partem affectam veniendum: à qua eſt profligandum ſymptoma illud, ſive inflammatio aut tumor, aut dolor: tandem ſiccantibus eſt perficienda curatio, ut Galenus vult libro ſecundo* κτ̀ τόπȣς.

Curationis methodus, ſi os corruptum fuerit] *Oſſis corruptio ſi oculis perſpici poteſt, eſt certiſſima, ut ait Celſus lib. 8. cap. 2. Verùm ſi oculis hæc non detur occaſio, conjecturis eſt deprehendenda. ut ſi multi dies abierint, & non coaleſcat ulcus: nunquam enim oſſe vitiato coaleſcet, ut docuit Galenus libro de Vſu partium, & in principio libri de Oſſibus: ex quo loco cauſam petat lector. aut ſi tecum expenderis, num ex puris generatione, vel retentione os vitium aliquot contraxerit: præterea num ex ulcere tenuius copioſiusque pus manet, quàm ulceris magnitudo poſtulet. vide Galenum 3. de Fracturis, de oſſe quod abceſſurum erat.*

Oportet cranium manifeſtare] *Niſi venæ, aut arteriæ, aut nervi id prohibeant: alioqui facilis eſt hujuſmodi curatio, & minus doloroſa, ut ait Celſus lib. 8. cap. 2. Verùm ſi ea parte os alteretur, quo dilatari non poſſit ulcus, ſic ut vitiatum & corruptum os detegatur, tunc vel penicillis in fundum uſque demiſſis, aut ſpongia vino lota, vel medicamento carnem exedente ulcus ampliabimus.*

Ponatur vitrioli Romani] *Advertendum eſt, ante horum medicamentorum appoſitionem, corpus eſſe vacuandum, illudque ſemper agendum, ne ulcus inflammatione corripiatur.*

Quo denigrato procuranda eſt] *Non in omni oßis alteratione hæc procuranda nigrities eſt: nam hoc eſſet malum malo addere; omne enim os, quod abſque carie ſit alteratum, ſcalpello abradere ſatis eſt, ut Paulus ait lib. 6. cap. 77. Quod quidem tamdiu abradis, donec aliquid ſanguinis appareat; quia quod vitiatum eſt, aridum ſit neceßeeſt, ut Celſus ait. advertat itaque diligens lector, auctorem noſtrum de eorum oſſium alteratione mentionem facere, quæ corruptionem adjunctam habent: quod totum profecto excidendendum eſt, (artificio hoc capite tradito, aut alio ſimili) ut auctor eſt Paulus libro ſexto capite de Fiſtula.*

Ex vitello ovi & oleo roſaceo] *Mirabitur fortaßis aliquis, cur hanc miſcellam capite de Vulneribus capitis damnarit; hic verò illam doceat. Tolletur hic ſcrupus, ſi utriuſ-*
Nota. *que diffinitiones perpendas: vulnus enim cum ſolum diviſio ſit continui, ad glutinari poſtulat; ulcus cùm præterea ſaniem habeat, quæ concoqui debet & abſtergi, meritò tale medicamentum flagitat quod utriuſque eſt particeps facultatis.*

DE

# DE CURANDO MORBO GALLICO.

## CAP. IX.

LUes iſta gallica non unico modo infeſtare cœpit inter initia miſeros homines, ſed varijs atque varijs; ac proinde non ita facilis fuit ejus curationis inventio: novitate ergo mali, tum medici, tum chirurgi commoti, videntesque paſſim hanc luem cum nullo non morbo conjunctam, graſſari per populum, maximè inſudarunt ad inquirendam methodum, qua poſſet tam pertinax morbus propulſari integrè. Itaque cùm expendiſſent diligenter admodum morbum hunc gallicum, ſpeciem afferre ſcabiei omnis generis, nonnunquam cum impetigine, aut vitiligine, alopecia, achoribus, verrucis utriſlibet: nonnunquam verò cum tumoribus pituitoſis, aut melancholicis, aut ulceribus corrodentibus, atque ſordidis, crancroſisque, pariter atque ſerpentibus, unà cum oſſium corruptione: nonnunquam item cum doloris omni ſpecie, cum febribus ethicis, & pluribus aliis morborum differentiis eſſe comitatum invenerunt tandem varias curandi rationes, adeò ut nemo ſit hoc morbo affectus, qui non facillimè ac tuto ab eo

liberari queat, ſi ſuffumigia, unguentaque excipere volueris, quæ non ſine multo ſudore admoventur. Verum quia pauperes nequeunt præ inopia maximis ſumptibus ſufficere, viſum eſt mihi operæpretium, ex duabus curandi methodis, quas ſemper ſum expertus, optimas, quibusque curatu difficillimos ægros, vel in maraſmo conſtitutos, ad ſalutis portum perduxi plurimos, eam quæ per unguenta fit, primùm ſcribere. Præparato igitur corpore per tres aut quatuor dies, ſyrupo ſequenti qui ad hunc modum ſcribit.

℞. *Syrup fumiterræ & mellis roſati ana* ℥ j.
*aquæ fumiterræ* ℥ iij.

deinde purgabuntur his pillulis quæ de hermodactylis dicuntur, & arthretice, aut ſi mavis, purgentur cum catapotijs aggregativis, aut aureis, aut de nitro ſecundum Alexandrum, aut de fumo terræ, aut de agarico, pro laborantis, & morbi conditione. quod ſi illis magis placuerit potio cathartica, propinet catholicon, aut electuarium Indum, aut hamec confectio, aut dia ſena, unà cum agarici trochiſcato, aut ſimilibus. Interea temporis comedat laborans ſemel ſingulis diebus vervecinas carnes, aut gallinam aſſam; veſperi uvas paſſas.
Pur-

Purgato ſemel corpore, accipiat ſequentis decocti ſummo mane ℥ e ij. & totidem hora ſecunda poſt meridiem: hyeme verò, quarta hora poſt cœnam. fit autem decoctum hoc modo.

*℞. Polipodii quercini ℥ b.*
*folliculorum ſenæ ℥ j.*
*thymi & epithimi ana pug.*
*fiat decoctio ſecundum artem in libris aquæ novem uſque ad conſumptionem tertiæ partis: in cujus colatura miſce ſacchari rubri ℥ viij.*
*mellis communis* ℔ j.

*& fiat apozema.* Hujus medicamenti potione expurgabitur æger citra ullum laborem, ac cum proba humorum coctione: qua peracta decoctione, capiet catapotia duo pro arbitrio medici nocte intempeſta. Tertio deinceps die ungendum eſt corpus, noctu poſt cœnam unguento ſequenti, quod inter alia primas mihi habere videtur.

*℞. Axungiæ porcinæ ℥ viij.*
*butyri ℥ j.*
*olei laurini chamæmeli, anethi, dialtheæ ana ℥ ß.*
*argenti vivi extincti ℥ iij.*

*fiat unguentum;* ungantur juncturæ propria ſi fieri poteſt manu ipſius laborantis, nam hoc eſt egregium, ac primum pedes, malleoli & plantæ, genua, popli-

tes, inguina, lumbi; deinde verò axillæ, humeri, cubitus & manus ipſæ, apoſtemataqúe omnia, dummodo non teneant caput. Infricandum eſt autem unguentum, adeo ut penitus imbibatur, maneatque laborans in lecto quietus, ac mediocriter coopertus, ita ut inter edendum unicam manum exercere permittatur. Altera autem die, ac deinceps ſequentibus repetatur inunctio, qua dictum eſt ratione, donec os, gingivæque intumeſcant; quod interdum duobus diebus interdum verò tribus, aut quatuor uſuvenire ſolet. quamprimum igitur apparuerit oris nocumentum, & gingivarum tumefactio, ceſſandum eſt ab unctione, & non anteà.

Cæterùm quo tempore ungitur corpus, edat æger vervecis carnem, aut gallinam, aut hœdum elixum, aut aſſum, meridie, ac veſperi: bibatque vinum dilutum, ac album: abſoluta verò inunctione, abſtineat à carnibus, ac aliis: prandeat ſolum jus cicerum cum mica una, aut altera panis; cœnet amygdalatum, bibens decoctum aniſi, ac glycyrhizæ: nec liceat illi vinum accipere per menſem proximum, donec ſanitati ſit reſtitutus, quantum ad os attinet: poſtea verò quàm ſanatum fuerit os, poterit comedere ſemel in die caſtrati arietis car-

carnem aut gallinam, præſtolatus quatuor plus aut minus dies ampliorem corroborationem: debet enim ægrotus hac victus ratione perſeverare, interea dum per os expuitur paulatim pituita, quoniam contraria ratione ſervata, ac plus juſto comedenti ægroto; vacuatio illa, quam exoptamus vehementer, præpediretur.

## ANNOTATIO.

*Non decreveram quicquam adnotare in hæc capita: tum quia nemo eſt qui medici tantum nomen gerat, cui tota hæc curandi ratio non ſit explorata; frequentique uſu periclitata: tum etiam quia ita multos ſingula adnotaſſe comperio, ut ſequentibus nihil dicendum reliquerint, præſertim indies, magis ac magis langueſcente morbo, & fere jam ſeneſcente. Quia tamen unctiones, ſuffitus & guajacum ſeorſum proponit auctor, brevibus, qua methodo quæque ſint admovenda, exhibendave, in publicam cauſam ſcribam. Qui igitur rectè hunc morbum curare velit, ad hæc in primis advertat neceſſe eſt, (nam cauſas, effecta, eſſentiam ab alijs, qui ex profeſſo hanc rem tractarunt, petere licet,) primum quidem an inveterata ſit ægritudo, num verò recens; & quouſque proceſſerit, & ad quæ membra: ſi nervoſa jam occupavit, ſi oſſa corrupit; tum ſi benignior ſit, an fera.*

*& ſi multæ ſit materiæ, an paucæ, & an tenacis, ac tractabilis magis; tota ne introrſum ſit, an extrorſum; & ſi ulcera multa ſint, an plus dolorum, quàm puſtularum, vel contra, ſimiliter & gummoſitarum: & ut uno verbo dicam, omnes differentiæ hujus morbi ante oculos habendæ ſunt. his ergo perſpectis, ſcito eam labem, quæ jam oſſibus inſedit, extra ſpem eſſe, niſi fortè ea oſſa uri poſſint, quare aut curationem repudiant, aut malum rediturum pronunciant.*

Præparato igitur corpore] *Quia permiſta ſunt omnia, tum ſeminaria, tum materia, propter lentorem: an amplius ſimul ſunt puſtulæ, & gummoſitates videndum eſt. Si quod unum ingenium & remedium eſt, quod omnia exequatur & omnibus valeat: & an plura requirantur; & quæ ea ſint: nam ſunt qui tentarunt per purgationes ſolas omnia abſolvere: alij per inunctiones, alij per ſuffitus, alij per ea quæ in ſudorem convertant materiam, alij per ea quæ in ſudorem convertant materiam, alij per ea, quæ obſiſtunt contagioni: alij verò modò uno, modò alio auxilio, ad diverſa utuntur: noſter auctor rectè propronit digerendam, præparandamque materiam eſſe, quæ mox educenda eſt: oportet autem calida eſſe & attenuativa, &, ut dicunt, inciſoria.*

Purgato ſemel corpore] *Facta prima evacuatione rectè facere mihi videntur, qui*

*rurſus*

*rurſus concoquant & purgent; vidimus enim qui factis exactè purgationibus, probè fuerint ſanati: ſunt qui ſecundos ſyrupos etiam ſolutivos faciant; addendo illis aut ſenam aut agaricum, aut hermodactylum, eum ſcilicet, quem nobis exhibent officinæ.*

Tertio deinceps die ] *Suaderem ego omnia tentare prius quam ad hæc acerba venire; etenim faſtidio plena eſt curatio hæc & periculo; quis enim non formidet argenti vivi vim, penetrationem, & repercutiendi facultatem? nam dum crura, brachia ungis, materiam intrò pellis; &, contra Galeni methodum, ex ignobili ad princeps viſcus detrudis experimento tamen comprobatum eſt, extremo hoc beneficio multos deploratos convaluiſſe: atqui ne præter rationem eſſe videatur tale experimentum, ita judico, medicamenta hæc iis conſtare, quæ ſeminaria exurunt, & totam materiam exſiccant, & abſtergunt, & liquant, & in ſudorem vertunt; ut hanc compoſitionem ponderanti manifeſtum fiet.*

Quàm primum igitur apparuerit ] *Non eſt compeſcenda hæc ſaliva, verùm permittenda eſt, & os vino abluendum eſt; aut aluminis decocta. tanta ſubinde oris eſt exulceratio, ut nec mandere, imò nec bibere primis diebus poſſint ægri: dentes labefactantur, fœtet anhelitus, ac multos tremulos obiiſſe compertum; aliis poſt inunctiones re-*

*diiſſe. dicam quod Pariſiis vidi: Adoleſcens quidam fuſte percuſſus ad tempora, convulſus periit tertio die; aperto capite inventum eſt os carioſum; cui hydroargyrii portio inventa eſt. obſervandum itaque eſt, ne caput inungas, néve magna hujus ſit medicamenti pars: verùm aliis magis, minúsve addatur.*

## DE RATIO CURANDI per ſuffitus.

### Cap X.

IN primis paretur cathedra in medio perforata, inſtar pelvis, in qua exonerari ſolet alvus; paretur etiam papilio ex linteaminibus diſtentis, arcu rotundo, ex vimine, aut alia materia ſtructo; ita ut totum receptaculum, in quo collocandus eſt æger, trium palmorum ſit capax: cooperiatur de ſuper papilio aliis lodicibus ita aptè, ut fumus exire neutiquam permittatur ulla ex parte: in quo loco ubi ſederit ægrotus, ſtatuantur in vaſe aliquo prunæ ardentes ſubter cathedram, in quas injici debet trochiſcus unus ex novem quos paravimus, ſingulis vicibus. ac poſtquam per horam exudaverit, cavendum eſt ſtrenuè quo minus frigeat: quinimò involutus linteaminibus & lodicibus, quibus in papilione tegebatur, transferatur in lectum, in quo totam

totam diem atque noctem jaceat. Hoc idem repetetur per duos alios dies, ac pro ſingulis ſuffumigiis tres trochiſci adhibeantur ſuo ordine, donec novem quos dicemus, abſolvantur, ac conſumantur. victus autem ratio eadem eſt omnino ſervanda, quæ in proximè dicto capite deſcripta eſt. Siquidem conſimilem patietur ægrotus in ore noxam. Paratur ſuffumigium hoc modo.

℞. *Cinabrii* ℥ ij. ß.
*in partes craſſiores triti thuris, ſtyracis liquidi ana* ʒ i. ß.
*miſce: & formentur novem paſtilli rotundi.*

## ANNOTATIO.

*Invenere item empirici & ſuffitum: ægrum collocant in matella, pannis optimè circumtegunt, ut ne etiam os extet, tum cynabarim cum thure miſtum, quo ſuffitu incaleſcit æger mirum in modum, ac ſudat. acerbiſſimum eſt medicamentum: quo ego nunquam auſus ſum uti ad corpus totum: ad certas autem partes, ut crura & brachia, quum ſphalceli ſunt, vel ferè gummoſitates vel dolores, vel ulcera malè morigerata, etiam præſtantiſſimum arbitror. Cæterùm ab eo abſtinendum ſuadeo: nec empiricis credendum, quibus nihil eſt temerarium magis, quando auſi ſunt pilulas ex argento vivo propinare: in quo errore*

*quondam fuiſſe legimus Braſavolam doctiſſimum medicum. utuntur cynnabari, quoniam in ipſo eſt potentia argentum vivum.*

## DE RATIONE CURANDI Morbum Gallicum cum decoctione guajaci.

### Cap. XI.

HUjus medicamenti potio maximam habet prærogativam in curando morbo Gallico, ſive cum ulceribus fatigaverit, ſive cum doloribus, aut tumoribus, ſcabie, febre ethica, aut quibusque aliis affectibus, imò verò egomet hoc medicamento curavi podraga laborantes, ac quamplurimos præ morbo Gallico tabefactos, & motu omni orbatos, pedibus, ac manibus qui in horas vehementia dolorum marceſcebant. Ergo præparato corpore cum ſerapiis, humoribus peccantibus accommodatis, ut cum ſyrupo fumiterræ, melle roſaceo, ſyrupo borraginis, epithimi, & aliis; purgandum eſt corpus cum catapotijs, aggregativis, aut de hermodactylis, aut aureis, aut arthreticis, aut fumiterræ, prout expedieriet: factáque ſemel purgatione, præparetur iterum ad ſecundam purgationem ſequenti decocto.

*℞. Polipodii quercini multum contuſi ℥ iij.*
*folliculorum ſenæ ℥ j.*
*thymi epithimi ana pug. j.*
*fiat decoctio in aquæ ℔ vj.*
*ad tertiæ partis conſumptionem, cui adde hermodactylorum pulveris in modum tritorum ℥ j.*
*ac deinde in expreſſione, & colatura fortiter effecta, miſce mellis communis ℔ j.*
*ſacchari rubri ℔ ſemis; ac bulliant ſimul donec deſpumentur.*

Singulis itaque diebus ſummo mane, & veſperi duabus aut tribus horis poſt meridiem accipiat hujus ſyrupi libræ ſemiſſem, donec univerſus exhauſtus ſit: ita tamen ut qualibet vice tota decoctio agitetur prius: qua abſoluta præparatione, purgetur ſecundo corpus ſemidrachma catapotiorem dictorum.

Altero autem à purgatione die, incipiet aſſumere decoctum ligni guajaci ad hunc modum parati antea.

*℞. Ligni ſancti molliti valde ℥ viij.*
*corticis ejuſdem ligni apud Indos ſeparati ℥ xij.*
*vini albi odorati ℔ xij, aquæ tantundem, macerenturper diem naturalem in vaſe vitreo, ac deinde lento igne, ac cooperta olla coquantur paulatim ad tertiæ partis conſumptionem,*

*cui*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0187-3
DFG

*cui adde hermodactylorum valde tritorum ℥ ij.*

*quos cum decocto in vaſe ſimul valde agitabis, quo melior fieri poſſit commiſtio, ac deinde in ollam conjicies, reliqua decoctione plenam, ac tegas, ac mox ab igne ſepares.*

Quæ ubi refrixit, ac ſubſederit, fiat gemina colatura in duplici vaſe; altera quidem majori quantitate, ac clarior per ſe ſervetur in vaſe mundo pro communi potu in prandio, & cœna; altera verò expreſſione multa fiat, ac reponatur item in alio vaſe mundo, de qua ſummo mane ac veſperi duabus aut tribus horis poſt meridiem; hyeme verò quatuor horis poſt cœnam, libræ ſemiſſem ſumet, ut dictum eſt, calidam quidem hyeme, reliquo tempore non eſt opus calefacere. quòd ſi decoctionem prædictam volueris efficaciorem facere, pro aqua capias decoctum fæculentæ materiæ, quæ ex priori ſuperfluit, ad tertiæ partis conſumptionem; & addas vinum, & reliqua quæ diximus in deſcripta jam decoctione fiant; donec tota jam bibita ſit: victus ratio ſervanda eſt, quo tempore purgatur corpus, & præparatur ſyrupis, tunc carnes vervecinas ſeu caſtrati arietis elixas meridie concedimus; paſſas verò uvas veſperi: quo verò tem-

tempore bibit decoctum guajaci, ac ſudorem ſuſtinet, debet jacere in lecto debitè velatus, comedetque, ac cœnabit paſſulas ſolas, cum modico pane, ſi vires ferre potuerint, Si verò æger debilior fuerit, aut delicatior, quàm qui rigidam adeò pati valeat abſtinentiam, prandeat pullum elixum absque jure: cœnet verò ſolas paſſulas. Hac demúm ratione regendus eſt æger, ad trigeſimum uſque diem: quo tranſacto, poterit bis, hoc eſt ad prandium & cœnam, edere carnes, uſque ad quadrageſimum diem, plus aut minus pro morbi conditione: caveat tamen ne interea temporis, aut vinum, aut aquam aliam bibat ægrotus ac ſi placuerit tempore calido ſurgere è lecto, ſurgat quidem transactis viginti diebus, & duabus à ſudore horis: ſic enim fiet, ut dicta methodo ſervata ſanitati reſtituatur æger cum optima membrorum temperatura, & totius corporis ſpecioſo habitu. eademque prorſus ratione licebit podagra laborantes, & paralyſi, pariter ac convulſione, ad ſanitatem reducere, modo illud memoriæ mandaverimus, corticem ſcilicet ligni ſancti detrahendum eſſe apud Indos; quoniam qui apud nos decorticatur, eſt debilioris virtutis. Similiter lignum ſine cortice aſportatum ad nos non probatur, eo quòd

vires

vires gerat exhauſtas, & cito nudum corrumpatur; non probatur etiam lignum abſque corde, ob eandem rationem.

## ANNOTATIO.

*Naſcente hoc morbo, ſtatim ſe Empirici ad inunctiones transferebant, quæ (ut diximus, è cauſticis fiunt; edocti, quod ab Arabibus acceperant, ulcera cacoëthe, & quæ ipſi vocant, hujuſcemodi curari præſidiis. ſed certè ego ſatius exiſtimo, talia admovere, quæ poſteriores medici tanquam acerba minus approbavêre, & nullius eſſe periculi cognovêre qualis eſt ligni guajaca uſus, eventu, experimentoque quotidiano, & ratione approbatus. de quo ligno varii auctores ita ſingula adnotarunt, ut quare proſit (è natura ipſius depromptis cauſis) nobis dicendum reliquerint. Sciendum itaque eſt hanc arborem exactiſſimè omnia præſtare, quæ in hoc expetuntur morbo nam quoniam è ſubtiliſſimis conſtat partibus, iiſque calidis circa tertium gradum, & ſiccis, & reſinoſa eſt; poteſt plurimum exſiccare modis omnibus, hoc eſt per caliditatem, per ſiccitatem, per ſe (ut ajunt Philoſophi) & per imbibitionem; poteſt & ſudorem provocare, tum & ſubtiliare, & materiam liquare & abſtergere, ac demùm eò quòd reſinoſa ſit, putrefactioni reſiſtere. Videtur autem & vim*

*quan-*

*quandam medicatam habere; propter quod & alvum movere ſolet. Cæterum illud notandum eſt (quod à perpaucis eſt animadverſum) antiquum lignum magis acutum eſſe, magis diſſolvere, eliquare, magis ſubtiliare, quàm recens. Quare ubi craſſior eſt materia, & gummoſitatis multæ, id eſt magis eligendum. Recens verò exſiccat quidem magis ea ſiccitate, quæ per qualitatem exſiccare poteſt; minus per eam, quæ fit à caliditate: quare ἁπλῶς, vel ſimpliciter exſiccat minus (ratio petatur ex quarto Metheor. Ariſtotelis:) confortat autem magis. itaque in delicatiori temperatura, materia magis ſubtili hoc eligendum eſt. Verùm quia corticis mentionem facit noſter auctor, approbatque ſummo applauſu recens medicorum turba; hæc addam de eo, multos indiſcretè hoc uti, putantes magis exſiccare, quoniam ſiccior videtur: ſed certè ignorant ſicciorem eſſe ea ſiccitate, quæ à qualitate fit ſicca, & ab imbibitione; non autem ea, quæ à caliditate: quare & minus colliquat, & ſubtiliat minus, & diſſolvit, & ſudorem minus movet.*

Vini albi odorati ] *Non in omni temperatura, hac eſt utendum miſcella: quis enim non formidet tale decoctum bilioſæ temperaturæ exhibere; quare indiſcretè magno (meo judicio) detrimento ægrorum uſurparetur: annotatum enim eſt multos à potu vini illius malè affectos in inſanabilem ægritudinem de-*

*cidiſſe. Quare qui complexiones calidas, & ſiccas habent, habitudines extenuatas, materiam morbi aduſtiorem; ij cavere ab eo potu debent: ſecurius accipient, qui craſſi ſunt, & humidi, & quibus materia morbi ſegnior eſt, & multi lentoris, & in locis remotis; in iis enim non inutile erit addere, quod exportet virtutem ligni, & quod ſubtiliet etiam.*

## DE CURANDO MORBO Gallico cum decocto rubi parillæ.

### Cap. XII.

MEdicamentum hoc confert maximè ad morbum gallicum, & hydropem, quartanas fluxiones, atque ſtranguriam, podagram, & alios morbos, dummodo debitè applicare quis illud ſciat, & ut convenit, decoquere. Vulgo ſiquidem errant graviter, qui hujus medicamenti ℥ iij. in aquæ tribus libris decoquunt, ad duarum partium conſumptionem, alii ℥ ij. rubi decoquere jubent in aquæ libris duabus, ad medietatis conſumptionem, alij ℥ iiij. in aquæ tribus libris elixant ad duarum abſumptionem, de qua decoctione manè & ſerò propinant: deinde verò fæculentam illam materiam iterum coquunt in aqua pro potu communi, dum pran-

dent ac cœnant. in quibus omnibus etiam, meo judicio, aut non ſatis advertunt, quid fieri debeat, medici ſola traditione contenti: qui ſi conſideraſſent, ſecus multo facerent, nolentes temperamento harum radicum & decoctione prudenter ægris officere. Offendi equidem aliquando ℥ vj. hujus rubi in tribus aquæ libris decoqui, ad duarum conſumptionem, & proportione communi ſuperſtitem materiam iterum coqui in libris quinque aquæ, ad duarum itidem conſumptionem. qua ratione, atque alijs, de quibus dudum diximus, quamquam ægri à morbo gallico liberarentur, acquirunt tamen hepatis & renum diſtemperantiam præcalidam, facileque in morbum revertuntur ea cauſa; eſt enim rubus calidi & ſicci temperamenti, prope tertium gradum; quæ cùm coquatur in tam parua aquæ quantitate, & tanto tempore cooperta olla, ac tanto pondere, multo magis calfacit; ac perinde non conducit ad ejus morbi melancholici jam facti medicationem. quòd ſi (ut dicemus) decoquatur in minori, ſcilicet doſi, & aquæ majori quantitate, ac minori tempore. poterunt decocto uti tam manè, quàm veſperi; tum jacentes, tum ambulantes, ſine ſudore, & ſudantes, tempore frigido, & calido,

dum-

dummodo à reliquis potibus abſtineant, & eo ſolo inter prandendum, & cœnandum ſint contenti. adde etiam, hac decoquendi rubi ratione futurum facilè, ut unica ſola libra curentur ægri; quantumvis cunctis membris ſint reſoluti, ſcilicet minori ſumptu, abſque biſcocti panis uſu, & abſque tam tenui victu, quàm tenuis eſt is quo alij utuntur. In primis itaque præparato corpore, ſyrupo ex fumoterræ, & melle roſaceo, cum aqua fumiterræ, aut cum alijs ſyrupis pro morbi conditione: deinde purgabitur cum pilulis de nitro Alexandri, de hermodactylis, aut arthreticis, aut fœtidis, aut aggregativis, aut fumiterræ, aut aureis, ſi ſcabie quoque laboraverint. Secundo ſumet apozema deſcriptum cap. ſuperiori, & purgabitur ſecundo etiam his abſolutis, incipiet bibere decoctum rubi vitigineæ, aliàs ſalſæ parillæ præparatum.

℞. *Rubi parillæ* ℥ iij.

*ſectæ ad hunc modum minutim, ac deinde contuſæ ſenæ* ℥ ß.

*aquæ* ℔ xij. *in vaſe mundo, in quo macerentur per viginti quatuor horas: poſt ea verò lento igne coquantur, uſque ad trium librarum aquæ conſumptionem, aut eo amplius. quo tempore hermodactylorum tritorum ac ſubactorum in eodem decocto* ℥ j.

*ad-*

*addas*, ac ſimul cum alijs permiſceas, cooperta olla; ſinanturque ab igne ſemota refrigere, & hujus colatura propinetur in prandio & cæna ad libitum, ac ſi ſitis infeſtaverit, reliquo etiam tempore, modica tamen quantitate. ubi volueris potionem paulo efficaciorem efficere, coque iterum in olla aqua plena fæcem illam primæ decoctionis, quæ manſit poſt colaturam, ad duarum librarum conſumptionem, & adde reliqua ut dictum eſt. fientque ad hunc modum reliqua decocta ad perfectam uſque curationem; quam utique aſſequetur æger viginti dierum ſpatio, comedens vervecis carnem elixam aut gallinam, cœnas paſſulas, & bibens prædictam decoctionem.

## ANNOTATIO.

*Salſa parilla à ſimilitudine, quam cum ſmilace aſpera habet, ab Hiſpanis propria lingua vocata eſt; & cùm iiſdem ſit viribus, referatque ſmilacis naturam, facilè inter ſmilaces illam poſuerim. Matthiolus ebuli credidit eße radices: tamen non conſtanter affirmat, nec eſt affirmandum, cum longè ſit craſſior ebuli radix, ut apud Dioſcoridem videre eſt, nec unquam ad nos tantæ craſſitudinis delata conſpicitur. Hujus radicis tam frequens eſt uſus,*

*uſus, tam recepta medicina, ut aquam hac radice decoctam non ſecus apud Hiſpanos invenias, quàm quæ glycyrrhiza coquitur. & jam perſuaſum eſt, non in lue hac gallica valere tantùm, ſed etiam egregiè omnem, qui à materia pendet frigida, affectum ſanare. Advehitur ex nova vocata Hiſpania: quanquam hæc jam repudietur, alia meliori inventa, in eodem regionis tractu (Honduras vocant;) nam & craßior eſt hæc minusque pallet, ſed flaveſcens magis, magis etiam intus candicat. Probatur quæ recens eſt, non carioſa; quæque manu fracta, friabilis non ſit. Auctor noſter circa tertium gradum hanc radicem calidam ſtatuit; Monardus, qui copioſè de hac ſcripſit, ad ſecundum gradum tantum: quæ quidem ſententia apud me eſt potior; etenim guſtata nulla ſentitur acrimonia, nec decocta ullum talem ſaporem reddit. Coquendi modus ab auctore traditur, quo loco meritò tantos in radice fervores damnat, cùm radix igne torreatur, & extraneo calore caleſcat magis; ſic ut hepati, & renibus officiat. ſunt & aliæ rationes, cur fervere tantopere non ſolum hæc; verùm aliæ etiam non debeant: petendæ ab iis qui de compoſitione medicamentorum ſcripſere, Montano, Rondelletio, Motuo, Buſdorpio. Nos enim ſatis feciſſe videbimur, ſi loca monſtraverimus, unde copioſior ſit petenda cognitio.*

DE

# DE CURATIONE diſtorti pedis pueri à nativitate claudi.

SÆpe accidit, ut infans naſcatur aut altero, aut utroque pede diſtorto, aut incurvo, aut repando, ita ut ægrè admodum poſſit incedere. Eaque de cauſa hoc loco volui methodum tradere, qua plurimos valde claudos liberavi, inter quos exſtitit unus curatu difficillimus, Llerenæ incola: ſed tamen dicenda induſtria tandem ſanitati fuit reſtitutus. Imprimis ergo utatur puer debita victus inſtitutione, laventurque pedes per triginta dies blanda manu cum ſubjuncta decoctione.

℞. *Radicum altheæ* ℔ j.
*ſeminis fœnigræci, ſeminis lini ana* ℥ iiij.
*florum chamæmeli, & meliloti ana m.* j.
*caput & pedes vervecis unà cum lana & cute aliquantulum contuſa. deinde bulliant in aqua ſufficienti ad ſeparationem oſſium; & poſtea colatura facta*, fiat balneum ad ſolem meridianum, & verno tempore; quoniam hyeme non conducit, ne frigore lædantur nervoſæ partes atque articuli: ubi verò peracta fuerit lotio, quæ tamdiu durabit, quamdiu in calore perſtiterit, detergendus eſt ma-

dor linteo, unganturque pedes ſequenti unguento.

℞. *Olei vulpini, olei de lilio amygdalarum dulcium ana* ℨ j.
*unguenti aggrippæ & dialtheæ ana* ℥ j. ß.
*medullæ crurum vituli & vaccarum ana* ℥ ß.
*pinguedinis gallinæ, anatis, anſeris, ardeæ ana* ℨ vj.
*pinguedinis urſinæ & taxi ana* ℥ j.
*pinguedinis porcinæ* ℥ ß.
*bulliant omnia ſimul in libra una decoctionis prædictæ uſque ad ejus conſumptionem, & poſt colaturam, cum pauca cera fiat linimentum*, donec imbibi videatur blandè infricandum: his verò per triginta dies confectis, ſedeat miniſter, ac recipiat puerum ſuper genua; manibus ac cruribus revinctis, aut manibus prehenſis: deinde accedens chirurgus, pedem claudum primum luxet magna vi, nitaturque reponere in debitum locum, & figuram optatam: quod fiet promptiſſimè, tum ob prægreſſam præparationem, tum præterea ob ipſius pueri tenerrimam ætatem. Facta repoſitione, mox apponatur linteum tenue, oleo myrthino madens, calenti ſuper totum articulum, abſque rugis, ne dolore fatiget deligatio; deinde verò deſuper ponantur ſplenia in ſequenti linimento intincta, & debitè expreſſa.

℞. *Trium ovorum albumina, olei omphacini, myrthini ana* ℥ j. ß.
*pollinis triticeæ farinæ, & hordeaceæ ana* ʒ ij.
*boli armenii triti* ℥ ß.
*ſanguinis draconis* ʒ iij.
*pulveris ſtatim deſcribendi, quem decet eſſe præparatum pro tota curatione*, ℥. ß.
*miſce. Ex his autem conſtat pulvis.*
℞ *Boli armenii* ℥ j. ß.
*thuris maſtichis, ſarcocollæ ana* ʒ ij. ß.
*myrrhæ, aleos ana* ʒ j. ß.
*tragacanthi, ſanguinis draconis ana* ʒ. iiij.
*farinæ hordei fabarum ana* ʒ ß.

*fiat pulvis ſubtilis*, hæc itaque ſplenia in dicto linteo madentia madeant iterum in aqua roſacea, & aceto, atque expreſſa ſuper particulam extendantur mediocri calore: mox plantæ pedis adhibenda eſt ſolea lignea, compar quidem, ac paulo major quàm culcitra deſuper poſita; deliganda eſt faſcia trium digitorum latitudine, quamquam in contrariam partem trahere contendat pedem, ab interiori parte exorſa, paucis admodum circumvolutionibus. Rurſum ſuper ſplenia, dicto modo deligata, adhibendæ ſunt tres ferulæ, quæ neutiquam facilè flectantur, ex ſalice concinnatæ, quinque digitorum longitudine; unius verò pollicis latitudine extentæ: quæ

ubi ſtupis fuerint tectæ affabrè, aqua & aceto quemadmodum ſplenia madere debent: ac deinde prima ſtatui debet poſtica parte, ita ut ligneæ ſoleæ immitti videatur; aliæ verò duæ à lateribus, ſuper quas omnis deligatio facienda eſt, nec laxa, nec nimis compreſſa, ad eum modum qui dudum dictus eſt. altero autem die medeberis pedi alteri eadem methodo, uſque ad ſeptimum diem, ſubinde præſtolatus, ne quidquam aliud molitus. quo transacto, ſequenti ratione aut alter pes, aut ambo, ſi utroque claudicaverit, ſunt curandi.

℞. *Terebinthinæ* ℥ ij. ß.
*olei myrthini* ℥ ij.
*roſati* ℥ j.
*thuris, maſtichis* ʒ j. ß.
*myrrhæ, aloës ana* ʒ ij.
*ſanguinis draconis, boli armeni ana* ℥. ß.
*pollinis & pulveris rubei anteà deſcripti ana* ʒ j.

*miſce*, & applicetur tepidum in ſpleniis, cum ferulis & ligaturis, ut dictum eſt. Deinceps verò repetenda eſt iſta medicatio ſeptenis quibusque diebus, usque ad vigeſimum primum diem, à prima ſeptimana; curandumque eſt ſummoperè, quemadmodum pedes recti prorſus maneant, ſequenti machinamento cum calceis conſtructo.

Cape



Cape laminam ferream unius digiti longitudinis, craſſitudinis trientis argentei, longitudinis pedalis, ipſius pueri paulo minus: hanc flectes inſtar calcaris, calcique adaptabis, cui ex utroque latere qua malleoli inſunt, duas alias laminas aſſues, longitudinis ſex digitorum, tertiam conſimilem in parte poſteriori has deinde tres longas, & quæ ſurſum per crus ipſum aſcendunt, cinges circulari alia parte ſumma; ita tamen ut parte anteriori aperta ſit: poſteriori verò clauſa, ac totum machinamentum ſit firmum: aliæ duæ ex utroque latere calcaris dirigendæ ſunt in duas illas laterales: ſuper hoc calcar ferreum ſtrui debet calceus pro pede claudo, ex pelle hircina exterius, & ovina interius, duplici ſoleo; ita tamen ut calcar inter utranque pellem interſit, & ad circularem illam laminam calcei collum attingat. unde conſtat, calceum apertum eſſe debere parte anteriori, & qua pedis pectini inſidet, ligandumqúe eſſe ligamento ad eam rem conveniente. Ergo antequàm calceentur pedes, ſubſtituatur emplaſtrum Joannis de Vigo, comfortativum ſuper univerſum articulum, quo tumores atque humores, intra articulum hærentes, diſſolvantur; & ipſe articulus firmior reddatur. Facta deinde calceatione ſuper emplaſtrum,

neu-

neutiquam diſcalceabitur æger, niſi quarto quoque die; in quo mundari debèt emplaſtrum, atque mollificari. quòd ſi illud interea temporis diſſolutum fuerit, denuò admoveatur aliud. poteritque æger ea rarione jam incedere, donec ſex menſes tranſierint, quibus etiam tranſactis, emplaſtroque tum amoto, non proinde relinquendi ſunt calcei jam dicti; imò verò per alios ſex menſes noctu atque diu calceatus degat, excepto tempore illo in quo lavari placeat. Emplaſtri confortativi deſcriptio.

℞. Ol*ei myrthini roſati omphacini ana* ℔ ſs.

*ſucci radicum altheæ* ℔ ij.

*radicis fraxini, & foliorum, radicis ſymphyti minoris, & foliorum, myrthi & foliorum ejus, foliorum ſalicis ana m.* ij. *bulliant omnia prius aliquantulum contuſa in vini nigri & aquæ pari menſura ad medietatis conſumptionem, cum myrrhæ & thuris ana* ʒ ſs.

*deinde in colatura addas ſevi hircini liquefacti* ℔ ſs.

*terebinthinæ* ℥ ij.

*maſtichis* ʒ j.

*bulliant iterum ſimul ad conſumptionem decoctionis. poſtremoque in colatura adde lithargyrij aurei & argentei ana* ℥ iij.

*boli armenij triti ſubtiliter terræ ſigillatæ ana ℥ ij.*

*minij ℨ x.*

*coquanturque ſimul lento igne & agitatione perpetua cum ſpatha, fiatque cerotum addita cera.*



FRAN-

# FRANCISCUS ARCÆUS MEDICUS BENEDICTO

## *Ariæ Montano Theologo S.*

CHIRURGICAM curandi rationem, nobis aſſidua lectione, & longo uſu comparatam, cujus editionem tu à me diu non poſtulaveras modò, ſed religione etiam objecta flagitaveras; quanquam ipſa medicinæ exercitatione vehementer occupatus, tandem tamen ad publicam utilitatem conſcripſi: quam cùm longiorem & copioſiorem eſſe illa ipſa curandi negotia non ſinerent, certam tamen, & diligenti experimentorum fide comprobatam eſſe, effecerunt. Cujus rei teſtimonia, illuſtriſſimaque exempla, cùm nobis abundè occurrerent, quædam ſolum addere placuit ad difficiliores rationes ſpectantia, quorum tu, dum Llerenæ euangecam pietatem publicè docens à me chirurgiam diſceres, teſtis affuiſti; nam ferè eodem tempore hæc omnia exempla ſimul edita ſunt.

# DE VULNERIBUS in capite Exemplum.

QUantum ſimplicibus capitis vulneribus, in quibus cranium læſum non ſit, loci ad aperiendum conſuetudo vulgata contra id quod initio præcepimus, tum nocumenti tum moræ ad ſanandum afferre poſſit, præter alia multa exempla, unum illud ſatis confirmat, quod in Joanne Gometio de columbis Cazzallenſi editum eſt, qui Philippi Regis noſtri ſtipendiis terras montesque mineralium inveſtigandi cauſa rimatur: is dum altè defoſſo ſpecu unà cum operario inquiſitione ſuæ operam daret, ad conſpectam repentè glebam, quæ metalli ſpecimen habere videbatur, manu tollendam ſeſe feſtinus demittit, quem ſocius imprudens librato jam atque improviſo ictu ligonis altero dente obliquè, ac non graviter percuſſit in dextera capitis parte, ſuper os quod laterale dicitur: nec verò vulnus ad cranium pertigit, neque ullam rupti oſſis ſignificationem dedit, quoniam revera os minimè fuerat læſum. Huic imperitus chirurgus, vulnus adaperiens, vehementer auxit, crucemqúe tribus digitis quadratam incidit, & cranium ſatis pro arbitrio detexit: deinde

deinde multos dies digeſtivis, & oleo uſus eſt, adeò profusè, ut ultra quindecim regios nummos oleò, & ovis adhibendis impendiſſe dictus ſit: ex quo evenit, ut non modò detecta cranij pars, ſed multo etiam major undique portio corrupta fuerit. tandem poſt alterum jam menſem cùm ego à D. Franciſco Mendocio, qui Regis mandato metallorum rationibus & operibus, curæque omni præerat, accerſitus hominem viſiſſem, Llerenam, ubi publico ſtipendio medicam artem exercebam, adduci juſſi. Huic cùm ſatis magnam oſſis partem extrahere opus eſſet, quæ tamen anguſtiori vulneris apertione produci non poſſet, cumque ego tantundem aperire recuſarem, orificium ad argentei nummi, quem regium vocant, magnitudinem trepanis feci, ita ut membranæ extarent, atque ea parte pus quod intus corruptum erat, quodque in dies conficiebatur, purgari poſſet; atque ita balſamo illo à me deſcripto & emplaſtro, de gummi elemij, & filis tam diu curationem proſecutus ſum, quo ad inſtrumentis leviter quotidie expertus, os ipſum circumquaque abſciſſum eſſe, & duram matrem ſuperinducta jam carne conſtare intellexi. Igitur ut os ipſum magnum minori multo foramine extra-

herem, inſtrumentum mihi ad trepani inſtar comparavi, quo foramen facerem, quantum ferreus fuſus fœminarum noſtratium facere poſſit: quo ferro contiguis ferri pertuſionibus in crucis modum os totum corruptum perforavi; opus autem ipſum à medio loco inceperam, qua ſuperius vulneris ipſius oſculum patebat, quod ad argentei nummi magnitudinem paraveram. Foraminum verò intercapedinem, levatore dicto inſtrumento interrupi: facilè enim os ipſum rumpenti cedebat. Hæc ubi jam expedieram, unam primum ex his quatuor portionibus inſtrumento attollens, extraxi, & alteram deinde, & tertiam: quartam, quæ maxima erat, in poſteram diem reliqui; quam tandem extraxi. Totum autem os laterale appellatum, & petroſi etiam ejuſdem lateris bona pars, & coronalis quoque non exigua portio, quæ in anteriorem partem vergit, extracta eſt; ex petroſo prodit quantum ferè ad auriculæ originem extenditur. His autem oſſibus extractis, dura mater quæ jam interim inducere carnem cœperat, ultra modum etiam induxit, adeò ut exuperantem carnem ex orificio illo, quod jam pridem feceram, bis fuerim coactus reſcindere: adeò autem duram experiebar, ut forcipibus vix poſſem
reſcin-

reſcindere. Poſt hæc autem cùm melius habere ſtatim cœpiſſet, Cazzallam diſceſſit à quo poſt menſem ferè accerſitus ſum, quòd in capite ſuper occipitis ipſius os, magnum tumorem ac pure etiam plenum haberet. quem cùm aperuiſſem, oſſa multo etiam magis, quàm quæ prædicta ſunt, corrupta eſſe deprehendi: tum vero Llerenam ad me venire juſſo, poſtera die ſatis ex arte ſubtiliter oſſa extraxi tria etiam prædictis æqualia, ſed multo magis corrupta. Relictus autem eſt toto ferè occipitis oſſe carens, atque portione etiam non exigua alterius lateris oſſis ſiniſtri. vulnera autem ipſa carne & cute undiquaque obducta ſunt: molli tamen & tactui cedente conſtitutione, quæ pautim dureſcit homo autem ipſe divino beneficio liberatus bene habet.

## *De Barriga exemplum.*

BArriga ſatis apud Llerenenſes notus homo, vulnus longiori (quem verdugum, noſtri vocant) in pectore accepit, ſecundum ſiniſtram mamillam duorum digitorum ſpatio ferè diſtans, prodiit autem gladius recta via juxta ſpinam medullarem, quanta digiti unius craſſitudo eſt, à ſpina devians, paulum ſub tergi oſſe prominens, & pulmonis pinna

ſive ala ſiniſtra, non longè à corde, ut ſitus ipſe indicat, trajecta eſt. Curatus autem eſt ea ratione, quæ à nobis primo poſterioris libri capite deſcripta eſt: dumque curatio procederet, decima, poſtquam vulneratus eſt die, ſanguis ex pulmonis vulnere ſatis copioſus erupit, ob continuum pulmonis motum, qui intra pectus ipſum confluens concretus eſt. proxima autem curatione, magnæ concreti ſanguinis portiones, unà cum pure confecto ex vulnere prodierunt, non ſine adſtantium admiratione, quòd majores etiam viderentur partes, quàm ut exitura capi & emitti poſſe crederentur. His animadverſis accidentibus, cùm nimiam quotidie puris copiam bis ſingulis diebus curatum effundere viderem, intentionem mutare decrevi: atque eo modo quo fiſtulas curari docuimus, experire conſtitui, ſtatimque incepi. Cùm autem per duos dies eam quæ illic deſcripta eſt, aquam bibendam exhibuiſſem, omnis ſanguis concretus unà cum pure tandem prodiit, duobus alteris diebus pus etiam defecit, ſtatimque febri liberatus eſt: ac breviſſimè ſanus, adeò atque adeò pinguis evaſit, ut magna iis qui hominem viderint, divinarum laudum materia oblata ſit, vivit ille & optimè habet.

# DE
# QUODAM LUDOVICI
## Zapatæ familiari exemplum.

HOmo hic D. Ludovici Zapatæ familiaris pugione lato quater petitus à tergo & percuſſus eſt ſiniſtro latere: ſed ex illis vulneribus unum ſex digitorum ſpatio ſub humero acceptum eſt. quod ſcapulare os cùm tentaſſet, reſiliente ferro, inter os ipſum, & carnem, quantum ſeptem tranſverſis digitis menſus ſæpe ſum, deſcendit, quo ad ſcapulæ regione transmiſſa inter coſtarum ſpatia mucro obtruſus ad cavitatem ipſam corporis penetravit. Ante autem quàm ego accerſitus accederem, copioſum ſanguinem ex omnibus vulneris partibus diffuſum, in cavitatem ipſam promanaſſe, ex ijs quæ poſtea acciderunt, conjecturam facio: ille verò ſanguis foris promanare non potuit, quod cute & carne obductum vulnus deorſum penetrabat, quo influxus commodius tendere veroſimile eſt: nam prima mucronis apertio altior erat quàm ut ſanguis commodè erumperet. Ita ego cum primam curationem incepiſſem, nequi negreſſum directum invenirem, non magis quàm cætera penetraſſe exiſtimaſſem,

niſi

niſi diligentius etiam tacto loco, & digito immiſſo, vulnus illud deorſum ulterius, quam ipſe digito perſequi poſſem, deſcendere cognoviſſem. Cum igitur ad cavitatem penetrare vulnus deprehendiſſem, locum eregione coſtarum, quà penetrare intellexi, aperui, inciſa ex directo cute & carne, ita ut immiſſus digitus ad interiora facile admitteretur, & pulmonem etiam qui ſecundùm ſpinam eſt, attingeret.

Curatus autem eſt eo quem deſcripſimus, modo in vulneribus pectoris penetrantibus. Ac primis quidem curationibus nullum pus confectum eſt, ſed quædam tantùm humiditas exigua admodum effluebat. Quarta verò die aqua ſanguineo colore effluit, qualis ea eſt in qua carnes lavantur, in dies autem conſequentibus curationibus, copioſius effluebat, adeò ut ſingulis curationibus vas, quod ſcutellam vocamus, impleret. utque commodè, & citò efflueret, ægrum tuſſire, aut reſpirationem continere jubebam: quatur autem per ſingulos dies à me curabatur. præter id autem quod inter curandum effluxerat, noctu ac diu fluxus ipſe non ſiſtebatur, adeò ut lectus lacunæ inſtar haberet. Igitur quarta die, cùm hujuſmodi aquæ effluxum ſine ulla puris ſpecie perſeverare

adhuc

adhuc conſpexiſſem, aquam illam nobis proximo exemplo indicatam ægroto exhibere inſtitui: ſtatim autem ex quo bibere cœpit, per duodecim dies major aquæ ſive ſaniei copia, ſine ulla hominis noxa, aut gravi aliquo ſenſu prodijt; ſed ita adeò ut ſecundo die ſubalbida & liquida prodierit; tertio autem die multo etiam albior, quoad ita alba & denſa prodijt, vaſe, in quo excipiebatur, tenacius hærens, ut vix etiam inclinata deflueret. parcius autem in dies prodibat, uſque ad duodecimam, qua tandem defecit, atque vulneris oſtium ſubitò ab interiori parte occluſum eſt: quod quanquam ego ferramentis nonnunquam adaperirem; nihil tamen aut puris, aut ejuſmodi humoris remittebat; neque ſpiritus ea ex parte, ut antea, reddebatur: atque ita curatio proceſſit, ægroto adhuc continua febre correpto. quam ob rem tribus diebus aquæ illi binos hordei integri pugillos, & paſſularum tuſarum cum ſuis acinis ternos; tamarindorum verò uncias binas addidi. atque hoc modo febris evànuit. Decima autem die poſt hæc gravi pectoris difficultate & febri laborantem hominem offendi; cúmque ex vulnere illius aquæ, ſive ſaniei copiam prodiiſſe ſine pure deprehenſum eſt; tenta indita plus adhuc ſaniei defluxit.

xit. atque hoc modo per ſequentes ſex dies habuit, minus in dies aquæ ex vulnere emittens. Poſt hæc & fluxus conſtitit, & vulnus ſanatum omnino eſt: atque homo ipſe egregiè adhuc Dei ſalutaris ope valet.

## *De modo componendorum medicamentorum, & de nonnullis medicamentis, tum ſimplicibus tum compoſitis, ad omnes peccantes humores.*

Hi, qui medicinam facere aggrediuntur, commoda & incommoda à medicamentis provenientia potiſſimum intelligere debent. hæc autem apud Avicennam, & Scriptores alios legi poterunt. cognoſcendæ etiam ſunt ſimplicium medicamentorum qualitates, nec non quas corporis partes reſpiciant. Sunt enim medicamenta; quæ peculiarem corporis partem roborant, ut Mentha totum corpus calefacit, ſed ſtomachum potiſſimum, quod fit per quandam illius herbæ, & ſtomachi ſympathiam, ut alibi diximus de Betonica, Meliſſa, Cucurbita, Chamæpity, Nuce Moſchata, Chamædry, Lauro, Centaurio, quæ caput reſpiciunt. Conſiderandum etiam

eſt

eſt in decoctis præſcribendis, ut quæ craſſioris ſubſtantiæ ſunt, primo loco ponantur; nam primo, & diutius decoquendæ ſunt radices. ſecundo loco herbæ, tertio ſemina, quarto fructus, quinto flores, ſexto aromata. Illud etiam ſciendum eſt, quòd radices, & ſemina pondere, herbæ manipulis, flores pugillis; fructus verò numero menſurantur. Exemplum contra obſtructionem & calidam hepatis intemperiem ſyrupus ita deſcribendus erit.

℞. *Corticum citri radicum centaurij ana* ʒ ij. — Contra obſtructionem & calidam hepatis.

*corticum radicum apij fœniculi, petroſelini, quæ per noctem in aceto infuſæ fuerint, ad calorem illarum contemperandum, ana* ℥ j.

*ſecundo loco, endiviæ non lotæ, ſcariolæ, hepaticæ, lactucæ, ſcolopendrij capill. ven. ana. m.* iij.

*tertio loco, quatuor ſeminum frigidorum majorum, & minorum ana* ʒ ij.

*quarto loco, prunorum jujubarum ſebeſten ana numero* xxx.

*quinto loco, florum violarum nymphææ, roſarum ana p.* j. *vini malorum granatorum* ℥ v.

*ſantalorum omnium ana* ʒ iij.

*ſacchari albi q. ſatis eſt, & fiat ſyrupus.*

Exemplum in intemperie frigida. — Ad frigid. hepatis.

℞. *Cor-*

℞. *Corticum radicis raphani, fraxini, geniſtæ, apij, fœniculi, petroſelini, graminis, aſparagi ana ʒ j.*
*menthæ, meliſſæ, chamædryos, chamæpityos ana m. j.*
*quatuor ſeminum frigidorum majorum ʒ ij.*
*florum chamæmeli, meliloti, ſtœchadis, roſmarini, geniſtæ ana pug. j.*
*caricas pingues num. xx.*
*ſquinati cinnamomi ʒ j.*
*ſacchari mellis ana ℔ ß.*

Notandum eſt, quòd in compoſitione ſyruporum laxativorum ponenda ſunt, quæ laxandi vim habent inter flores, ſi tenuiorum partium ſint; ſi verò ſint partium craſſiorum, inter aromatica, vel ſemina, & flores conjunge, pro ratione decoquendorem. Exemplum pro melancholico humore.

Pro humore melancholico.

℞. *Corticum ſuperius dictorum ℥ j.*
*herbarum ſuperiùs dictarum ana ℥ j.*
*deinde adde.*

℞. *Senæ cuſcutæ, polypodij quercini, ſeminum cartami, agarici ana ʒ ij.*
*florum ameos violarum ſtœcadis ana p. j. potes deinde addere aromatica, & ſaccharum.* poſt decoctas herbas facienda tamen primò eſt colatura herbarum & radicum, cui addenda ſunt laxativa & aromatica. Illud maximè obſervandum in me-

medicamentis præſcribendis, ut herbæ manipulis radices unciis, flores pugillis, fructus numero præſcribantur. In laxativorum compoſitione doſes cognoſci debent: eſt enim plus diſcriminis in illis quàm in aliis medicamentis. & quia ſimplicium medicamentorum veræ doſes tradi non poſſunt, niſi cum delectu & ratione; ideo medicamentorum facultates peculiariter ſunt cognoſcendæ,& alia etiam quæ in illis exhibendis reſpicere oportet; quæ ſunt, ægrotantis vires, temperatura, ætas; regio ipſa, & anni tempus, & ejuſdem conſtitutio. ideo difficile eſt ſimplicium & compoſitorum medicamentorum doſes tradere & docere, & pro ratione eorum, ex quibus componuntur, doſes augendæ ſunt vel minuendæ. Exemplum. Diacatholicon ex fortibus medicamentis non conſtat; ejus doſis eſt ℥ j. electuarium de ſucco roſarum, & diaphœnicon medicamenta fortiora recipiunt, nempe dacrydium: eorum doſis eſt ℥ ß. cum ſola exhibentur: cùm verò aliis admiſcentur, doſis erit immutanda. Exemplum in evacuatione choleræ & phlegmatis. cùm. ſ. æquis portionibus commiſcenda ſunt medicamenta, doſis ita conſtituenda erit. Doſes compoſ. medicam.

℞. *Electuarii diacartami, electuarii de ſucco roſarum ana* ℥. ij.

non

*non autem ana ℥ ß.*

notandum etiam, quod ſi cholera magis redundat quàm phlegma, tunc in majori doſi exhibendum erit electuarium de ſucco roſarum: ſi e contra major ſit copia phlegmatis, diacartami doſis augenda erit. & hac ratione compoſita medicamenta miſcenda ſunt. Eadem ratione in ſimplicibus medicamentis procedendum.

purgatio ℞. *Rhabarbari electi, turpeti gummoſi ana ʒ ß.*

*ſpicæ Zinziberis ana ℈ j.*

*fiat pulvis cum ſaccharo. & nota, quòd rhabarbari doſis eſt ʒ j. ß.*

Turpeti doſis illi æqualis eſt, ſed ratione compoſitionis cùm ſimul miſcentur, doſis eſt minuenda. ſi verò ſimplex medicamentum exhibendum fuerit, in ſua doſi integra exhibebitur. Exemplum in evacuatione choleræ.

Cholerã purgat. ℞. *Electuarij de ſucco roſarum ℥ ß.*

exhibeatur in aurora, in evacuatione phlegmatis.

Melancholiam purgat. ℞. *Diacartami ℥ ß.*

in evacuatione melancholiæ.

℞. *Diaſenæ ℥ j.*

hic doſis augenda eſt; nam medicina non eſt fortis. notandum eſt quod propter medicamentorum commiſtionem compoſitorum doſes aliquando augentur, aliquando minuuntur ut. ℞

*℞. electuarij de ſucco roſarum ʒj.*
*diacartami ʒ ij.*
*diacatholici ʒ ij. ß.*
*triferæ ſarracenicæ ʒ iij.*
*pulveris trium ſantalorum ʒ j.*
*ſpecierum diagalangæ ʒ j.*
*maſtichis capill. ven. ana ʒ j.*
*capiatur modo opiatæ. ſ. in ſex diebus, nam opiatæ una doſis eſt ʒ vj.*
*poteris & tuo judicio bis addere de opiatis aliis ʒ ij. vel iij.*

in laxativis præſcribendis; quibus non immutatis ad plures dies uti conſuevimus. id obſervandum eſt, ut noſtro judicio illorum doſim augeamus vel minuamus, prout ægrotantes laxiori, aut contumaciori ſunt alvo.

*Exemplum in educenda cholera rhabarbari doſis ʒ j.*
*uſque ad ʒ iij.*
*corrigitur cum G.* vj. ſpicæ & aliis quæ à Meſue traduntur, & nocte una in aqua endiviæ macerandum eſt.

*Tamarindorum doſis eſt à ʒ ij.*
*uſque ad ℥ j.*
*& corriguntur cum aqua caſei. dacrydij doſis eſt ℈ ß.*
*corrigitur cum G.* ij. maſtichis, & aliis quæ tradit Meſues.

*Myrobalanorum citrinorum doſis eſt à ʒ ij. ad ʒ v.*

in

*in infuſione verò à ʒ v. ad ʒ xx.*
*myrobalanorum cepulorum tritorum doſis eſt à ʒ ij. ad ʒ iij.*
*in infuſione verò à ʒ iiij. ad ʒ x..*
*myrobalanorum empelliticorum tritorum ab aureo uno ad aureos tres in infuſione ab aureis tribus ad aureos ſex, corriguntur aqua caſei, & alijs quæ dicuntur à* Meſue.

Aloes. doſis eſt à ʒ ß. ad ʒ ij.

*Aloes doſis eſt à ʒ ß. ad ʒ ij.*
*in infuſione ab aureo uno ad aureos tres, corrigitur tragacanthii ʒ ß.*

*aliis quæ affert* Meſues : ex ſolventibus medicamentis aliqua tutò, aliqua non ſine diſcrimine exhibentur; ideo illorum doſim omitto. Eſt etiam compoſitorum medicamentorum tradenda doſis, eorum, inquam, quæ choleram educunt, quæ pro ægrotantium viribus augenda eſt, vel minuenda.

*Electuarii de ſucco roſarum doſis eſt ℥ ß.*
*diaprunis ſolutivi doſis eſt à ʒ ij. ad ℥ ß.*
*triferæ ſarracenicæ doſis eſt ℥ j.*
*de pilulis choleram educentibus.*
*Pilularum aurearum doſis eſt ʒ j.*
*pilulæ communes ad ʒ ij. exhibentur.*
*Pilularum è fumaria doſis eſt ʒ j.*
*pilularum è rhabarbaro ʒ j. ß.*

hæc autem omnia pro judicio medici. & ægroti viribus. Sunt præter hæc alia ſolutiva, ſed his ut plurimum utimur. mutantur & doſes medicamentorum in pe-

peculiaribus regionibus, tunc eorum doſes à medicis & pharmacopolis illius regionis ſunt addiſcendæ. Animadvertendum etiam eſt, an in medicamentis ſit ſcammonium, colocynthis, aut elleborus: quæ enim hæc recipiunt, fortes ſunt medicinæ, ideo non exhibentur in majori doſi quàm ad ʒ iij. aut ad ℥ ß. de medicamentis pituitam ducentibus.

*Turpetum à ʒ j. ad ʒ ij.*
*exhibetur in infuſione ad ʒ iiij.*
*corrigitur cum zinziberis ʒ ß.*
*agarici doſis eſt à ʒ j. ad ʒ ij.*
*in decoctione verò ad ʒ v.*
*corrigitur ſale gemmæ colocynthis à ℈ j. ad ʒ ß.*
*exhibetur: corrigitur tragacantho. Polypodij doſis eſt à ʒ ij. ad ℥ ß.*
*corrigitur ʒ j. aniſi. Hermodactylorum doſis eſt à corriguntur cum ʒ j. zynziberis. Cartami doſis eſt à ʒ iij. ad ℥ ß.*
*corrigitur tragacantho & maſtiche.*

Turpetum doſis ʒ j. Agarici doſis ʒ j. ad ʒ ij. Colocynthis doſis a. ℈ j. ad ʒ ß. polypodij doſis ʒ j. ad ℥ ß.

## *Electuariorum pituitam educentium doſes.*

| | | |
|---|---|---|
| Benedicta<br>Hiera ruffi<br>Hiera pura<br>Hiera logadii<br>Diacartam | Diaturpeti<br>Electuarium de citro<br>Daphœnicon | omnium doſis eſt ℥ ß. |

## *Pilulæ.*

Pilulæ { ex agarico : cociæ : lucis : arthreticæ : ex hermodactylo : ex eupatorio. è hiera : alephanginæ : ex euphorbio : è caſtorio : è quinq; myrobalanis ex mezenno.

Notandum, quòd electuaria Indum majus & minus phlegma educunt, & ejuſdem ferè ſunt facultatis; in hoc differunt, quòd electuarium Indum minus non eſt adeò calidum. *Turpetum & ſcammonium choleram & pituitam educunt. Diaphœnicon medicamentum eſt compoſitum, & ad ægritudines & febres compoſitas utile eſt, & ad chronicos morbos eſt medicamentum tutiſſimum : confert coli doloribus & ægritudinibus ventris, humoribus crudis & frigidis ; & eſt ſolutivum aptiſſimum.* Electuarium Indum majus educit redundantes humores ſpeciatim pituitoſos & putridos à ſtomacho, & membris nutritioni inſervientibus, & flatus in illis contentos diſſolvit.

## *Doſis ſimpl. medicamentorum educentium melancholiam.*

Senæ doſis eſt à ʒ ij. ad ʒ iiij. infuſæ verò doſis eſt ab ℥ ß. ad ℥ j. corrigitur autem ʒ j. Zinziberis, aut glycyrrhizæ,

aut

aut xilobalſami, aut cuſcutæ. Lapidis lazuli doſis eſt à ʒ j. ad ʒ ij. corrigitur, ſi novies lavetur. Lapis armeniacus eadem doſi exhibetur. Epithymi doſis eſt ℥ ß. corrigitur, ſi aqua roſacea bis aut ter lavetur.

## *Doſis compoſitorum medicamentorum educentium melancholiam.*

| | | |
|---|---|---|
| Diaſenæ<br>Diacatholici<br>Hieræ ruffi (cæ<br>Triferæ Sarraceni. | Diacartami | omnium doſis ℥ j. |

Hiera ruffi caput purgat, ſtomachum & reliquum corpus ab humoribus craſſis & viſcidis; & atram bilem tantum educit: confert maniæ, epilepſiæ, oris torturæ, & paralyſi, & melancholiæ: flatus diſcutit, ſtomachi concoctionem juvat; & eſt medicamentum conferens fiſtulis, ulceribus cancroſis, & lepræ.

## *Pilulæ humorem melancholicum educentes.*

| | | |
|---|---|---|
| Pil. | è fumo terræ.<br>ex elleboro<br>ex lapide lazuli.<br>ex epithymo fœtidæ | omniũ doſis eſt à ʒj. ad ℈ iiij. |

Notandum, quòd in regionibus frigidis & tranſmarinis in majori doſi medicamenta exhibenda ſunt quàm in aliis regionibus.

Confectio Hamech confert ægritudinibus ab atra bile & humoribus aduſtis, ut maniæ, melancholiæ, vertigini, oblivione, & ægritudinibus cutis, ut ſcabiei, morpheæ, lepræ, carbunculo, elephantiæ, & impetigini.

His abſolutis, doceamus doſim medicamentorum quæ tuta ſunt, & audacter exhiberi poſſunt. Primo loco de his quæ bilem purgant, loquemur. Secundo loco ea quæ pituitæ conferunt, exponam. Tertio loco ea quæ humorem melancholicum reſpiciunt, explicabo. In univerſum, dico quòd iſtorum debiliorum medicamentorum, aquarum, & electuariorum roborantium, & non ſolventium doſis eſt ℥ j.

*Syrupi ad bilem.*

| | |
|---|---|
| Syr. de endivia | Syr. acetoſus ſimplex |
| Syr. è capill veneris | Syr. è ribes |
| Syr. violaceus | Syr. de limonibus |
| Syr. de agreſta | Syr. de acetoſitate citri |
| Oxyſacchara ſimplex | Syr. de portulaca |
| Oxyſacchara comp. | Syr. de papavere |
| Syr. è berberis | Syr. de jujubis |

Syr. è cydonijs. Doſis cujuſlibet horum ſyruporum eſt ab ℥ j. uſque ad ℥ ij.

*Aquæ bilem contemperantes.*

Aqua { Scariolæ: endiviæ: lactucæ: plantaginis: acetoſæ: limonum: portu-

Aqua { portulacæ: nymphææ: roſacea
ſcolopendrij: capil. ven. cichorij
curcurbitæ: cucumeris.

## *Electuaria bilem cohibentia.*

Electuarium è tribus ſantalis:
Roſata novella: Electuarium de gemmis:
Diatragacanthum frig. Diarhodon:
Abbatis: Diamargariton frigidum:
Diapruni: Diacydonium.

*Doſis cujuſlibet iſtorum eſt* ℥ j.

Nota, quòd cujuſlibet electuarij doſis eſt ℥ j. non tamen unica vice tota eſt aſſumenda, ſed ſingulis vicibus ſingulæ tabellæ ſunt capiendæ; & niſi adſint electuaria, eorum loco conſervæ ſubſtituendæ. atque horum non traditur doſis: ſatis enim eſt communem menſuram, & quantitatem noviſſe, neque commiſcenda omnia ſimul ſunt, quæ ſcripſimus, ſed unum tantum per ſe exhibendum, aut duo vel tria commiſcenda ſunt, capiendo uniuſcujuſque partes æquales.

## *Conſervæ ad bilem, & earundem doſis.*

| | |
|---|---|
| Conſ. roſarum | Conſ. nymphææ |
| Conſ. violarum | Conſ. capill. ven. |
| Conſ. corticum citri | Conſ. bugloſſæ |
| Conſ. papaveris | Conſ. acetoſæ |
| Conſ. borraginis | Doſis cujuſlibet |

harum conſervarum eſt ab ℥ ß. ad ℥ j. plus minus, prout ægro convenit. vel ſic componantur.

℞ *Conſervæ roſarum & violarum ana ℥ ß.*
*conſervæ capil. ven. ℥. j.*
*pulveris trium ſantalorum, ſpecierum diarhodon ana ʒ j.*

ſacchari quod ſatis eſt miſce, & fiat conditum auro coopertũ. poſſunt etiam addi ea quæ roborant viſcera; ut os de corde cervi ad ʒ j. vel ij. aut ſiquid aliud tibi viſum fuerit, ut ſpodiũ & ſantala, quorum doſis ut plurimum eſt ab una ʒ ad ʒ ij. His etiam conditis adduntur aliquando lapides, quorum doſis ut plurimum eſt ℈ j. vel ij. & quandoque limatura auri, cujus doſis eſt ℈ ß. ℈ j. & ſic de aliis.

## *Syrupi ad pituitam.*

| | |
|---|---|
| Syr. è ſtœchade, | Syr. de Hyſſopo, |
| Syr. byzantinus | Syr. de praſſio, |
| Syr. de mentha, | Syr. è calamintha, |
| Syr. de artemiſia, | Syr. de eupatorio, |
| Oxymel ſcilliti. | Syr. è glycyrrhiza, |
| Syr. de abſinthio, | Oxymel ſimplex. |

*Doſis eſt omnium æqualis ℥ ij.*

| | | |
|---|---|---|
| Aqua verbenæ | Saxifragiæ | Meliſſæ |
| Calaminthæ | Enulæ camp. | Salviæ |
| Aqua majoranæ | Satureiæ | Hyperici |
| Euphragiæ | Menthæ. | |

eſt

Omnium dictarum aquarum doſis eſt ℥ iij. ut ſemper aquæ dupla ratio ſit ad ſyrupum quem diluit. Sunt & aliæ aquæ, ut feniculi, petroſelini, graminis, aſparagi; quarum ℥ iiij. exhibentur: ſi verò plures aquas ſimul miſcere cupis, earum doſes augendæ.

## *Electuaria ad pituitam.*

| | |
|---|---|
| Diafurfurum | Dianthos cũ muſcho |
| Elect. plir. cũ moſcho | Diatrion pipereon |
| Aromaticũ roſatum | Diapraſſium |
| Diacoſtu | Diacalamintha |
| Diamentha | Diacyminon |
| Diarhodon nilei | Diacaſtoriu |
| Diagalanga | Garyophyllatum |
| Diamarathru | Diazinziber. |
| Diaireos ſimpl. | Dianiſu |
| Diahyſſopum | Doſis cujuslibet |
| Diacaryon | eſt à ʒ ij. ad ʒ iij. |

## *Opiatæ ad pituitam.*

| | | |
|---|---|---|
| Theriaca | Mithridatum | Triſera mag. |
| Aurea | Alexandrina | (ſine opio. |

Doſis iſtarum eſt à ʒ j: ad ʒ ij. Cum electuariis uti volueris, eorum doſis eſt ʒ j. vel. ʒ ß. ut tu vis. ſi eadem in tabellis exhibere libet, doſis erit ℈ j. hoc pacto.

℞ *Diaireos ſpecierum diahiſſopu ana ℈ ß. ſacchari quod ſatis eſt, & fiant tabellæ ponderis* ʒ j. *vel* ij.

### *Conſervæ ad pituitam.*

Conſervæ { auri : eryngiorum : anthos : ſalviæ : enulæ camp. corticum citri : ireos : cyperi : zinziberis : citruli.

Nota, quòd iſtarum conſervarum doſis eſt à ʒ j. ad ʒ iij. vel minus, & earum plus requiritur pro condito faciendo quàm pro tabellis. doſis in tabellis ſemper eſt à ʒ j. ad ij. in conditis ab ℥ j. ad ij. & ſi plura commiſcenda ſunt, ſingulorum eſt minuenda doſis. & hoc de omnibus aliis intelligendum, & multitudo miſtorum à medicis non probatur.

### *Syrupi ad humorem melancholicum.*

Syrupi { de agreſta : de bugloſſa : de borragine : de eupatorio : è fumaria : byzantinus : è calamintha : è ſcolopendrio: è lupulis : de epithymo : è tamarice.
Doſis ab ℥ j. ad ℥ ij.

### *Aquæ ad humorem melancholicum.*

Aquæ { borraginis: Bugloſſę: Tamaricis: fraxini : Lupulorum : Geniſtæ: fumariæ : Roſarum : Meliſſæ: calaminthæ : Scolopendrij.
Doſis ℥ ij. vel iij.

*Ele-*

## *Electuaria humori melancholico conferentia poſt evacuationes & purgationes exhibenda.*

Pliris arcoticon  Diambra
Lætificans Galeni  Elect de gemmis
Diatrion: Santalon: Diarhodon Abbatis.
Diamargariton.
Doſis iſtorum eſt ℥ ß.

Si electuaria parata, & ad manus non habeas accipe eorundum ſpecies. Singulorum doſis erit ℈ j. ſi multa ſimul commiſceantur addito ſaccharo eo modo, quo pulvis ducis parari conſuevit, hoc pacto.

℞. *Specierum elect. pliris cum moſcho, ſpecierum lætificantis Galeni, ſpecierum elect. de gemmis ana* ℈ j.
*ſacchari quod ſatis eſt*, fiat electuarium in tabellis, vel ad modum pulveris ducis, cujus ſingulis diebus ſummo mane exhibendum erit cochleare unum cum aqua bugloſſæ,

## *Conſervæ ad humorem melancholicum.*

Conſ. { borraginis: bugloſſæ: violarum: anthos: capill. ven. roſarum: Doſis iſtarum eſt ab ℥ ß. ad ℥ j.

## *Opiatæ ad humorem melancholicum.*

Requies magna cum aqua endiviæ, Rubea trochiſcata, diarhodon. doſis iſtarum eſt ℥ j.

Nota, quòd præter dictas aliæ etiam ſunt rationes componendorum medicamentorum, quibus medicus indiget, ut ſunt clyſteres, peſſi, vomitoria, apophlegmatiſmi, errhina, & alia. ut itaque junioribus medicis conſulamus, breviſſimè & per compendium illorum componendorum rationem explicabimus, & rudiori quodammodo, ne horum ignorantia errent, & à pharmacopolis irrideantur.

## *Clyſter ad ægritudines è frigida materia.*

℞. *Quatuor emollientium ana m. j.*
*abſinthij, centaurij, abrotani, borraginis ana m. j.*
*quatuor ſeminum calidorum minorum ana ℥ ij.*
*florum roſmarini, ſtœchadis, geniſtæ, majoranæ ana m. j.*
*caricas pingues numero x.*
*cicerum rubeorum pug. ij.*
*fiat decoctio in aqua: in qua diſſolvantur benedictæ. Hieræ picræ ana ℥ ß.*

*olei*

*olei liliacei, laurini ana ℥ j.*
*mellis communis deſpumati ℥ j. ſalis ℈ j.*
*& fiat clyſter, qui tepidus injiciatur.*

Nota, quòd in clyſteribus herbæ illæ ponendæ ſunt, quæ reſpiciunt partem affectam. ut ſi ægritudo in capite ſit, addendæ erunt betonica & ſalvia, ſi in hepate, abſinthium & eupatorium; ſi in matrice, nepeta ſi validiores cupis, addere poteris diacartamum, aut alia pituitam educentia, ut agarici ℥ j. aut turpetum ſi corrigantur.

## *Clyſter in materia calida.*

℞. *Malvæ, betæ, parietariæ, flo. cucurbitæ, lactucæ, endiviæ ana m. j.*
*quatuor ſem. frigidorum mundatorum minorum ana ʒ j.*
*flo. chamæmeli, bugloſſæ, borraginis ana p. j.*
*Pruna, jujubas, ſebeſten, ana numero* xij.
*fiat decoctio in aqua, in qua diſsolve diacartami ʒ. j.*
*electuarij de ſucco roſ. ʒ* iij.
*olei violacei ℥* ij.
*mellis ℥ j.*
*ſalis ʒ j.*
*ſucci betæ ʒ* ij.

fiat clyſter, qui injiciendus eſt in modica quantitate.

Nota, quod ſi ægritudo compoſita

ſuerit, debent medicamenta componi; calida. ſ. & frigida miſcenda ſunt ſemina ſimiliter: ſi ægritudo autem ſimplex fuerit, unius generis medicamentis uteris. & ſi particulare aliquod membrum roborare exoptas, adde ſimplicia, quæ membrum illud reſpiciant. in calida materia clyſteribus addi poterunt ſolia bliti albi, & aliarum herbarum frigidarum, ad caliditatem inteſtinorum contemperandam. Alii ſuccos etiam addere conſueverunt, nempe cucurbitæ, aut betæ, aut melonum.

## *Julebum in materia frigida.*

In materia frigida.

℞. *Syr. è ſtœchade, de hyſſopo, de mentha, de radicibus ana* ℥ ß.
*aquarum menthæ, betonicæ, apii, meliſſæ, ana* ℥ v.
fiat julebum. *aromatiza* ʒ ij.
*cinnamomi &* ℈ j.
*zinziberis*, clarifica, ut decet, & utere.

Notandum, quòd ſi morbus in capite fuerit, aut pectore, aut ſtomacho; tunc ea medicamenta, quæ membrum illud reſpiciunt, augenda erunt. Si caput laboret, Syrup. è ſtœchade, aut oxymel ſcilliticum, in majori doſi exhibendi erunt quàm alii. ſi pectus ſit malè affectum, tunc doſis ſir. è praſio, aut de hyſſopo augenda erit. Si ſtomachus malè ha-

habeat, ſyrupum de eupatorio, & aquam abſinthij augebis. ſi renes oxymel diureticum, & aquam quinque radicum. ſi matrix, ſyrupum artemiſiæ, & ejuſdem aquam. & ſemper affectis membris ſunt accommodanda medicamenta.

## *Julebum in materia calida.*

℞. *Syrupi de endivia, è capill. ven. ana* ℥ ij.
*oxyſacchari comp.* ℥ ß.
*aquarum lactucæ, endiviæ, bugloſſæ, acetoſæ ana* ℥ iiij.
*miſce, & clarifica, & aromatiza cum* ℥ ij.
*ſantalorum rubeorum, & alborum.* Et nota, quòd ſyrupus violaceus non debet admiſceri oxyſaccharo, vel ſyrupo acetoſo: nunquam enim dulcia acidis ſunt permiſcenda in ægritudinibus pectoris, vel tuſſi: in paſſionibus nervorum exhiberi non debet oxyſaccharum, aut ſyrupus acetoſus, nec intinctus cum aceto, aut rebus acidis factus, illis convenit: & pro ratione membrorum affectorum medicamenta illa reſpicientia ſunt exhibenda. ut ſi caput calida intemperie laboret, ſyrupum è nymphæa, & ejuſdem aquam augebis: ſi verò cor laboret, ſyrupus de bugloſſa, & roſaceus augendi ſi ſtomachus vel hepar, ſyrupus endiviæ, & aqua ejus.

## *Julebum in materia melancholica.*

℞ *Syrupi ex epithymo, de bugloſſa, de borragine, de fumaria ana* ℥ ij.
*aquarum lupulorum, tamaricis, fumariæ, meliſſæ, bugloſſæ, ana* ℥ iij.
*miſce, clarifica, aromatiza cum* ʒ j.
*ſantalorum & cinnamomi.* & illud animadverte, ut medicamenta, quæ membrum affectum reſpiciunt, non obliviſcaris, ut ſæpius admonuimus.

## *Julebum ad omnes humores.*

℞. *Syrupi è radicibus de hyſſopo ana* ℥ ß.
*ſyrupi è fumaria, de endivia ana* ℥ ij.
*ſyrupi de epithymo, de bugloſſa ana* ℥ iij.
*aquarum meliſſæ, acetoſæ, borraginis, bugloßæ ana* ℥ iiij.
*miſce, clarifica, aromatiza cum* ʒ j.
*cinnamomi* & utere.

## *Julebum ad ventris fluxum compeſcendum.*

℞. *Syrupi myrthini, ſyrupi è cydoniis: ſyr. roſati* ℥ iiij.
*aquarum prunellorum, plantaginis, foliorum quercus ana* ℥ iiij.
*miſce cum aqua roſarum,* clarifica, & fiat julebum.

*Ju-*

## *Julebum contra peſtem.*

℞. *Syrupi de limonibus, de acetoſitate citri, de agreſta ana* ℥ ij.
*ſyrupi de endivia, & ſyrupi de prunis agreſtibus ana* ℥ ß.
*aquarum artemiſiæ, acetoſæ, roſarum bugloſſæ, endiviæ ana* ℥ iij.
*miſce & addita* ʒ j.
*ſantalorum alborum*; fiat julebum.

## *De ſolventibus pituitoſum humorem.*

℞. *Fol. roſmarini, ſtœchadis, borraginis, bugloſsæ ana p.* j.
*quatuor ſeminum frigidorum majorum & minorum ana* ʒ j.
*cicerum rubeorum p.* j.
*abſinthij, betonicæ, hyſſopi, borraginis ana m.* ß.
*ſenæ, thymi, epithymi, cuſcutæ, agarici ana* ʒ j.
*glycyrrhizæ raſæ* ℥ ß.
*paſſularum mundatarum* ℥ j.
*fiat decoctio in aqua, in cujus colatura diſſolve turpeti* ʒ j.
Zinziberis ʒ ß.
& fiat potio. *Aliter*.
℞. *Diacartami* ℥ ß.
*diſſolve in aqua menthæ*, & fiat potio.

Me-

## *Medicinæ ſolutivæ fortes quæ indigent corrigentibus, hæ ſunt:*

Dacridium, agaricus, ſcammonium, colocynthis, eſula, turpetum, euphorbium, elleborus, mezereon, aloes, cataputia, lapis lazuli, lapis armeniacus, ſena.

## *Medicamenta quæ non indigent corrigentibus.*

Caſia fiſtula, tamarindi, pruna, rhabarbarum, fumaria, polypodium, myrobalanorum omne genus, epithymus, manna, paſſulæ, borrago, & ſimilia.

## *Ad calorem febrilem.*

℞. *Conſervæ roſarum, violarum, nymphææ, acetoſæ ana* ℥ ß.
*ſpecierum antidoti diarhodon* ʒ ij.
*ſyrupi, roſati, & de acetoſitate citri, quod ſatis eſt.*

## *De medicamentis, prout peculiarem corporis partem reſpiciunt, & primo ad frigidas capitis ægritudines.*

Syrupus è ſtœchade, oxymel, mel roſatum: aqua ſalviæ, rutæ, betonicæ.

*Ad*

*Ad calidas capitis ægritudines.*

Syrupus violatus, è nymphææ: aqua meliſſæ, endiviæ, lactucæ.

*Ad ægritudines frigidas pectoris.*

Syrupus de epithymo, è glycyrrhiza, de praſſio, de hyſſopo: aquæ calaminthæ, enulæ.

*Ad calidas ægritudines pectoris.*

Syrupus violatus, jujubarum, papaveris, aquæ nymphææ, & lactucæ.

*Ad ægritudines frigidas cordis.*

Syrup. de borragine, de bugloſſa: aquæ meliſſæ, & enulæ camp.

*Ad calidas ægritudines cordis.*

Syrupus de agreſta, violatus è nymphææ: aquæ violarum, roſarum, nymphææ.

*Ad calidas ægritudines ſtomachi.*

Syrupus de mentha, de abſinthio, è calamintha: aquæ pulegij, leviſtici.

*Ad frigidas ægrit. inteſtinorum.*

Syrupus è mentha, de abſinthio: aquæ pulegij & ſambuci.

### *Ad calidas ægrit, inteſtinorum.*

Syrupus myrthinus, de agreſta, de cydoniis, roſatus: aquæ portulacæ, & plantaginis.

### *Ad ægrit. frigidas hepatis.*

Syrupus de epithymo, de eupatorio, è fumaria: aquæ fumariæ, & ſcabioſæ.

### *Ad ægrit. calidas hepatis.*

Syrupus è papavere, ſyrupus acidus, oxyſaccharum: aquæ fumariæ, cichorij.

### *Ad frigidas. ægrit. ſplenis.*

Syrupus è ſcolopendrio, è calamintha, oxymel, ſcilliticum: aquæ fœniculi, & de radicibus.

### *Ad calidas ægrit. ſplenis.*

Syrupus è nymphæa, è capillis veneris, aquæ capill. ven. cichorij.

### *Ad ægrit. frigidas renum.*

Syrupus de radicibus, oxymel, aquæ abrotani, & ſaxifragiæ.

### *Ad ægrit. calidas renum.*

Syrupus de agreſta, è portulaca, aquæ plantaginis, & portulacæ.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0238-7

## *Ad ægrit. frigidas matricis.*

Syrupus de hyſſopo, de artemiſia, de radicibus, de calamintha: aquæ artemiſiæ, ſalviæ, meliſſæ.

## *Ad ægrit. calidas matricis.*

Syrupus de endivia, de portulaca: aquæ virgæpaſtoris, endiviæ.

## *Ad ægrit. frigidas juncturarum.*

Syrupus è ſtœchade, acidus, ſcilliticus: aquæ calaminthæ, pulegij.

Aloes humores bilioſos, & pituitam purgat.

Agaricus pituitoſos humores, & aduſtos; pulmonem, nervos juncturas.

Caſia fiſtula bilem, & pituitam educit.

Rhabarbarum, bilem flavam, capitis humiditates, & omnium membrorum.

Elleborus albus, humorem melancholicum, & aduſtam bilem purgat ab univerſo corpore.

Fumaria aduſtos humores, cor, hepar, & cerebrum expurgat.

Sena, humorem melancholicum, & aduſtam bilem.

Polypodium, bilem aduſtam; & humorem melancholicum educit.

| | |
|---|---|
| *Quatuor ſemina fri-gida minora.* | Semen lactucæ<br>Semen portulacæ<br>Semen endiviæ<br>Semen ſcariolæ. |
| *Quatuor ſemina fri-gida majora:* | Melonum<br>Cucurbitæ<br>Cucumeris<br>Citruli. |
| *Quatuor ſemina ca-lida majora:* | Fœniculi<br>Aniſi<br>Cumini<br>Carvi. |
| *Quatuor ſemina ca-lida minora:* | Ammeos<br>Amomi<br>Apij.<br>Dauci. |
| *Quinque herbæ emollientes.* | Malva<br>Parietaria<br>Blitum<br>Branca-urſina<br>Mercurialis. |
| *Quatuor flores communes.* | Roſæ<br>Violæ<br>Flores borraginis<br>Bugloſſæ. |
| *Quinque radices communes.* | Apij<br>Petroſelini<br>Ruſci<br>Aſparagi<br>Fœniculi. |

*Qua-*

| | | |
|---|---|---|
| *Quatuor aquæ cordiales :* | { | Aqua ſcabioſæ<br>Endiviæ<br>Cichorii<br>Bugloſſæ. |
| *Herbæ capillares:* | { | Adiantus<br>Polytrichon<br>Scolopendrion<br>Cuſcuta. |
| *Quatuor unguenta calida :* | { | Unguentum de althæa<br>Unguentum aregon<br>Unguentum marciatũ<br>Unguentum agrippæ. |

## *Diamargariton frigidũ magiſtrale.*

℞ *Margaritarum albarum* ℨ iij.
*hyacinthi* ℨ j. ß.
*coralli rubei, boli armenii, ſuccini ana* ℨ j.
*ſpodii, raſuræ eboris, cornu cervi, uſti oſtis de corde cervi, ſerici crudi, corticis citri, ſem. papaveris albi, ſem. acetoſæ, ſem. portulacæ ana* ℨ j. ß.
*tormentillæ, glycyrrhizæ, amyli, ligni aloës ana* ℨ j. ß.
*ſantali albi, & rubei ana* ℨ ij.
*ſantali citrini, coriandri præparati, gummi arabici, gummi tragacanthi, roſarum rub. ana* ℨ ij. *camphoræ* ℈ j.
*quatuor ſem. frigidorum mundatorum ana* ℨ j.
*moſchi ambaris ana* G. v. *auri & argenti ana numero* x. miſce, & fiat pulvis.

*Pul-*

*Pulveres roborantes magiſtrales.*

℞. *Glycyrrhizæ roſarum aniſi ana* ℥ ij.
*ſem. papaveris, ſucci glycyrrhizæ, amyli, ſem. portulacæ, ſem. lactucæ, ſem. ſcariolæ, ſem. cydoniorum, flo, borraginis ana* ʒ iij.
*diapapaveris* ʒ iij.
*gummi* ℈ j.
*gummi arabici, ſantalorum alborum, & rubeorum ana* ℈ iiij.
*cinnamomi, ſtyracis, ſem. bombacis. ſem. malvæ, berberi, florum nymphææ violarum ana* ʒ ij.
*ambaris moſchi ana G.* vj.
miſce, & fiat pulvis.

*Pulvis ad caſum.*

℞. *Rhabarbari* ʒ j.
*mumiæ* ʒ ij.
*rubeæ tinctorum* ʒ j. ß.
miſce, & fiat pulvis.

*Confectio hyacynthorum magiſtralis.*

Cordialis confectio. ℞. *Hyacinthi, coralli rubei, terræ ſigillatæ, tormentillæ, dictamni, grani tinctorii, ſem. citruli, croci, myrrhæ, roſarum ſantalorum omnium, oſſis de corde cervi, ſem. acetoſæ, ſem. portulacæ, raſuræ ana* ℈ iij.
*ſapphiri, margaritarum, topazii ſerici crudi, auri argenti ana* ℈ ij.

*cam-*

*camphoræ moſchi ana* ℈ j.
*ambaris* G. vj.
*ſyrupi limonum quod ſatis eſt*, miſce, & fiat confectio cordialis.

## *Diamoſchu magiſtrale.*

℞. *Galangæ, Zedoariæ, doronici, ben albi, & rubei, calami aromatici, garyophillorum, ocimi, ſerici combuſti, cardamomi, maſtichis, meliſſæ, menthæ ſive ſpodii, ligni aloes, coriandri præparati fœniculi, aniſi ana* ℥ j. ß.
*ſpicæ, cinnamomi, roſarum, abſinthii ana* ʒ j.
*mellis crudi quod ſatis eſt*, miſce.

## *Theriaca è citro magiſtralis.*

℞. *Sem. citri mundatorum*, ℥ iij.
*ſem. acetoſæ* ℥ ij.
*dictamni, ſem. cydoniorum, ſem. bombacis ana* ℈ v.
*medullæ nucum ad pondus omnium. ſyrupi de acetoſitate citri quod ſatis eſt* miſce, & fiat confectio.

## *Limonata ſmaragdorum.*

℞. *Smaragdi* G. x.
*hyacinthi* ℈ j. ß.
*ſem. pæoniæ, cinnamomi, rad. pæoniæ ana*, ʒ iiij.
*ſem. citri, dictamni ana* ʒ vj.
*coralli rub. grani tinctorii, ſem. acetoſæ ana* ʒ iij.

*croci*

*croci* ʒ j.
*viſci quercini*, *raſuræ eboris*, *galangæ limonatæ ana* ʒ ij.
*mellis quod ſatis eſt*, miſce.

## *Confectio ad humores melancholicos Gentilis.*

℞. *Senæ*, *cinnamomi*, *croci*, *ſem. anethi*, *apij petroſelini ana* ʒ j.
*meliſſæ*, *corticis*, *citri*, *caryophyllorum*, *ben. albi & rubei*, *zedoariæ*, *ſem. ocimi caryophyllati ana* ʒ j.
*thymi. epithymi*, *flo. bugloſſæ*, *roſarum*, *borraginis*, *polypodij ana* ʒ ij.
*turpeti* ʒ v.
*hermodactylorum* ʒ iiij.
*lapidis lazuli*, *lapidis armeniaci*, *myrobalanorum*, *cepulorum*, *empeliticorum ana* ʒ vj.
*dacridij* ʒ ij.
*cum duabus partibus mellis*, *& una ſacchari*, fiat confectio.

## *Confectio cæleſtis Guidonis.*

℞. *Sem. juniperi* ʒ j. ß.
*caryophyllorum*, *maſtichis nucis moſchatæ*, *Zinziberis*, *Zedoariæ*, *ana* ʒ ij.
*utriuſque ariſtolochiæ*, *gentianæ*, *tormentillæ*, *dictamni*, *enulæ ana* ʒ j. ß.
*ſalviæ*, *rutæ*, *balſamitæ*, *polij montani*, *menthæ ana* ʒ j.

*bac-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0244-9

*baccarum lauri, doronici, croci, ſem. citri, ocimi, maſtichis, olibani, boli armenij, terræ ſigillatæ, ſpodij, oſſis de corde cervi, raſuræ eboris, margaritarum, fragmentorum ſmaragdi, zapphiri, coralli rubei, ligni aloes, ſantalorum rubeorum, moſchatæ, ligneæ ana* ʒ ß.
*conſervæ roſarum, conſervæ nymphææ, theriacæ ana* ℥ j.
*ſacchari* ℔ iij.
fiat electuarium *cum aquis ſcabioſæ roſarum, & modico camphoræ.*

## *Compoſita medicamenta alvum laxantia.*

| | |
|---|---|
| Diacatholicon | Nicol. |
| Diaſena | Nicol. |
| Electuar. de ſucco roſ. | Nicol. |
| Catharticum imperiale | Nicol. |
| Diaprunis ſolut. | Nicol. |
| Hiera picra comp. | Gal. |
| Diaprunis | Nicol. |
| Hiera ruffi | Meſ. |
| Diacartamum | Arnol. |
| Hiera logadij | Nicol. |
| Confectio contra melancholiã | Gentilis |
| Hiera picra | Gal. |
| Confectio hamech | Meſ. |
| Benedicta | Nicol. |
| Elect. eleſcoph. | Meſ. |
| Diacaſſia | Nicol. |

*Electuarium diacartamum magiſtrale.*

℞. *Specierum diatragacanthi* ℥ ß.
*pulpæ cydoniorum* ℥ ij.
*zinziberis, hermodactylorum ana* iiij.
*pulpæ cartami* ʒ vj.
*dacridii* ʒ. iij.
*turpeti* ℥ j.
*mellis roſac.* ℥ ij.
*ſacchari* ℥ xvj.

*De conditis.*

| | |
|---|---|
| Conſerva roſarum | Meſ. |
| Conſerva acori | Meſ. |
| Conſerva violarum | Meſ. |
| Citra condita | Meſ. |
| Conſerva borraginis | Meſ. |
| Conſerva bugloſſæ | Meſ. |
| Conſerva nymphææ | |
| Conſerva ſtœchadis | |
| Loch de pino | |
| Loch de ſucco ſcillæ | |
| Loch de caulibus. | |

*Syrupi.*

| | |
|---|---|
| Syrup. è fumaria. S. | Mel roſatũ colatũ |
| Syr. è fumaria com. | Mel emblicorum |
| Syr. de mentha | Syr. de ſtœchade |
| Syr. byzantinus. | Syr. è ſucco borrag. |
| Syr. de abſinthio | Syr. roſaceus |
| Syr. de eupatorio | Diamoron |
| Sy. de ſcolopendrio | Diacaryon |

Syr.

| | |
|---|---|
| Syr. acetoſus ſimpl. | Miva aromatica |
| Syr. acetoſus comp. | Syr. è glycyrrhiza |
| Syr. de acetoſitate citri | Syr. de pomis |
| | Syr. de praſſio |
| Syr. de agreſta | Syr. de hyſſopo |
| Oxymel ſcilliticũ. | Syr. de endivia |
| Miva cydoniorum | Syr. capill. ven. |
| Syr. myrtinus | Oxymel diureticũ |

## *De Pilulis.*

Pilulæ:

| | |
|---|---|
| de rhabarbaro: | è lapide lazuli: |
| alephanginæ: | aſſajeret |
| è fumaria: | de lapide armenio: |
| aggregativæ: | |
| de opopanace: | è ſagapeno: |
| fœtidæ majores: | de mezereoo: |
| fœtidæ minores: | aureæ: |
| ſtomachicæ min: | de hiera: |
| ſtomachicæ mai: | cochiæ: |
| contra peſtem: | |
| linguæ ſubditæ | Nicol: |
| bechicæ | Joan. Dam: |
| de hermodactylis: | |
| è quinque generibus mirobalanorum Nicol: | |

Notandum, quòd cùm quis humorem viſcidum, & pituitoſum educere vult, medicamento ſalis gemmæ modicum adjiciat: irritabit enim expultricem facultatem. Doſis ſcrupulum unum non excedat.

# DE FEBRIUM CURANDARUM RATIONE

Franciſci Arcæi Fraxinalenſis Medici & Chirurgi.

## DE FEBRI TERTIANA pura ſive ſimplici.

### Cap I.

PRINCIPIO accedenti Medico æger rogandus eſt, quemadmodum ſeſe de ventris beneficio habeat; cui durius atque difficilius ſibi eſſe reſpondenti, communi clyſtere ſuccurrere oportebit: qui ſic componitur.

℞. *Foliorum malvarum, foliorum violarum, brancæ urſinæ ana manip,* j.
*furfuris pug.* ß.
fiat decoctio: *de qua ſumantur unciæ* xij.
*in quibus diſſolvatur caſiæ fiſtulæ* ℥ j.
*addanturque olei violarum* ℥ ij.
*ſalis communis* ʒ j. ß.

fiat

fiat clyſter : qui plerunque poſt paroxiſmum, non ante adhibendus eſt.

¶ *Deinde ſyrupi exhibeantur acetoſi, intybi vel violarum ana* ℥ ij.
*cum aquis cichorei, & intybi ana* ℥ j. ß.

Quarta verò die, quæ eſt intentio ſolutionis, poſt ſecundum paroxiſmum, lenitiva potio propinanda eſt; ſi tamen neque nimiam materiam, neque intra vaſa abditam eſſe cognoveris.

℞. *Caſiæ fiſtulæ mundæ* ℥ j.
*diſſolvatur in aqua intybi quantum ſatis ſit* : vel;

℞. *Florum violarum, borraginis, & bugloſſi, ana* ℥ j. ß.
*hordei mundi pug.* j.
*liquiritiæ raſæ & conquaſſatæ manip.* ß.
fiat decoctio, *in qua diſſolvantur caſiæ fiſtulæ* ℥ ij.
& fiat potus : *cui adde ſyrupi violarum* ℥ j. ß.

¶ Quod ſi bilioſa materia nimia, aut intra vaſa contenta fuerit, hanc potionem exhibere oportebit minorativam.

℞. *Rhabarbari electi temperati in aqua intybi* ℨ j.
*pilorum ſpicæ, grana* iiij.
*caſiæ fiſtulæ mundæ* ℥ j.
*diaprunis ſolutivi* ℨ j.

*diſſolvatur in aqua intybi, vel bugloſſi quantum ſatis fuerit*, & fiat potio. Vel illam.

℞. *Pru-*

℞. *Prunorum damaſcenorum numero* xv.
*tamarindorum* ℥ vj.
*violarum* ℥ j.
bulliant ſuaviter, & fricentur, & colentur: *in qua colatura diſſolvatur diaprunis ſolut: caſiæ fiſtulæ per ſetaceum trajectæ ana* ℥ vj.
*diacridii* ℈ ſs.
fiat potio *ad uncias* iiij.

Sæpe autem evenit, ut evacuata materiæ parte, hujuſmodi minorativis natura potentior ſupra reſiduum evadat, & materia ipſa, aut corrigatur, aut naturali virtute ſine alio medicamine expurgetur. Si verò virtutem nondum valere intellexeris, ulteriùs pergendum tibi eſt, & ſyrupi concoctivi quotidie; enæmata verò tertio quoque die adhibenda ſunt. Et ſi poſt tertiam acceſſionem rubens urina, & maximè craſſa apparuerit, baſilicam dextri lateris venam incidito, qua ſanguis bili commixtus, atque putrefactioni proximus evacuetur. Si verò urina rubea, ignea, & non craſſa, apparuerit ſanguinem etiam mittere expediet, ad evacuandam bilem, & ebullitionem cohibendam: namque ferventi ollæ ſi partem vel modicam brodij ſubduxeris, ebullitio compeſcitur. Sed hæc ſanguinis miſſio poſterior ad quartam uſque unciam fiat; nam priorem ad ſextam fie-

ri

ri licebit: namque in poſteriori refrigerare non evacuare intendimus. Hæc adeò ſanguinis miſſio in juvene carnoſo, conſtantisque virtutis opportuna eſt; in quo facilè hoc remedio bilis ebullitio ceſſabit.

Animadvertendum eſt, valde etiam prodeſſe ſpontaneum vomitum in hujuſmodi acceſſionum principiis: neque cohibendum eſſe, niſi nimius fortaſſe fuerit, & qui aſſumptum cibum regerendo, virtutem debilitaret. Quòd ſi tardior aliquanto natura ad vomitum videatur, ita ut tentatum perficere non poſſit, vomitivo medicamento adjuvanda eſt in ipſis, ut diximus, paroxiſmorum principijs.

℞. *Aquæ communis* ℥ iiij.
*aceti & ſacchari ana* ℥ j. miſce. Vomitivam.

& tepidum propinato, efficiet enim & paroxiſmum, & morbum ipſum leniorem & breviorem, ex Hippocratis ſententia.

Si verò nimius vomitus eſſet, naturæque imbecillitatem argueret, ventriculus hoc ſyrupo facilè corroboratur. Adverſum vomitus.

℞. *Syrupum de agreſta* ℥ vj.

quem per duas horas ante cibum cochleari paulatim exhibe; quo vomitum nondum ſiſtente, pulverem hunc conſtituito.

℞. *Corallij rubei* ℥ iij.
*zuchari* ℥ ij.
*cinnamomi* ℈ ß. miſce:
*ex quo pulvere ſumatur* ℥ j.
*mixto cum prædicti ſyrupi cochlearibus duobus.*

Poteris etiam parare ſacculum ventriculo applicandum hujuſmodi.

℞. *Roſarum rubearum* ℥ iij.
*coriandri præparati, menthæ ana* ℥ ij. ß.
*corallij rubei, balauſtiorum ana* ℥ j.
*conquaſſentur*, & fiat ſacculus.

Poteris & ad eandem rem admovere micam panis toſtam, & aceto infuſam, mortario piſtam, & ſubactam
*cum myrtilorum,*
*& corallij ana* ℥ j.
*cinnamomi* ℥ ß.
ventriculo exterius impoſito.

¶ Cum medicus curationem urgens, tamen febrim non ceſſare, nec deficere deprehendit, hujuſmodi apozema exhibeat.

℞. *Tamarindorum ſubtiliter inciſorum, & deinde probè contuſorum* ℥ ij.
*hordei contuſi, & paſſularum bene contuſarum ſine acinis ana p.* iiij.
*pruna inciſa & contuſa num.* xv.
*conſervæ nenufaris, & conſervæ violarum ana* ℥ ij.
fiat decoctio ſecundum artem, *in lib.* xij. *aquæ*

*aquæ, quoad libræ octo reliquæ fiant. Exprimito deinde & colato: cui colaturæ adde ſyrupi violati, & oxyſacchari ſolutivi, & ſyrupi de duabus radicibus ana* ℥ iij.

fiat apozema *de quo ægrotus ſingulis diebus manè bibat* ℥ xij.

*veſperique tantundem. Adhibebis etiam illud enæma ſive clyſterem.*

℞. *Succi betæ lib.* 1. *olei roſarum* ℥ ij.

*ſalis* ʒ j. ß.

*zuchari rubei* ℥ ij.

*caſiæ fiſtulæ* ℥ j.

miſce; & fiat enæma.

Jam verò concoctionis ſignis apparentibus, ſi naturá ſponte ſua ad evacuandum non moveatur, eradicativo medicamento utendum eſt hujuſmodi.

℞. *Paſſularum extructis acinis p.* j.

*prunorum damaſcenorum ſine oſſibus num.* xx.

*florum violarum, borraginis & bugloßæ ana* ℥ ij.

fiat decoctio, *in qua dißolvatur rhabarbari inſuſi inaqua intybi per noctem* ʒ j.

*pilorum ſpicæ gran.* iiij.

*caſiæ fiſtulæ, & diaprunis ſolutivi ana* ℥ iij.

fiat potio. *Cui addas ſyrupi violarum* ℥ j.

*& aromatizetur cum pulveribus diarhodon Abbatis, & roſata novella ana* ℈ j.

& hoc delicatiorib. hominib. exhibetur:

*robuſtioribus verò hujuſmodi aliud.*

℞. *Diaprunis ſolutivi* ℥ ß.
*diaprunis ſcilicet* ʒ v.
*cum aqua intybi* fiat potio.

Si paroxiſmus ſudore terminatur, eoque nimio, qui ex nimia virtutis debilitate, aut ex caliditate nimia proveniat; hoc remedio compeſcitur ſudor.

℞. *Olei myrtilorum, & roſarum ana* ℥ j.
miſce: & ſi hoc minus valeat, illo altero utendum eſt.

℞. *Gummi Arabici infuſi in aqua roſarum, & balauſtiorum ana* ℥ ß.
*mucilaginis pſyllij* ℥ j.
*olei citoniorum & roſarum ana* ℥ iij.
miſceantur, & inungatur corpus.

Cùm ſudorem ex nimia virtutis debilitate profluere cognoveris, brodiis & ſalſatis ægrotus tibi reficiendus eſt, admixto agreſtæ ſucco, vel hoc pulvere.

℞. *Corallij rubei* ʒ ij.
*margaritarum, & balauſtiorum ana* ʒ j.
*zuchari tabarzet* ʒ ij.
miſce, & fiat pulvis.

Quod ſi his omnibus rectè curatis, calor tamen non deficiat, ſed ad exteriores partes magis extenſus, ob nimiam ſubtilitatem ſitim efficit, vehementer calefaciens; conſultiſſimum fuerit julebum aliquod parare, quo ægrotus cùm voluerit, utatur; idque vires reſtauret, & bilis

bilis ardorem refrigerando reprimat. hujuſmodi.

℞. *Pulveris electuarij diatrium ſantalorum, & pulveris diadragacãthi frigidi ana* ʒ ß.
*criſtalli* ʒ j.
*Zuchari tabarzet* ℥ iiij.
miſce, & fiat conditum auratum: atque hoc ditioribus opportunum erit.

℞. *Margaritarum orientalium perforatarum, & non perforatarum, fragmentorum rubinorum, ſmaragdorum, & hyacinthorum in ſubtilem pulverem contuſorum ana* ʒ j.
*cryſtalli* ʒ ß.
*oſſium de corde cervi num.* 4.
*ſeminis citri mundati, quatuor ſeminum frigidorum ana* ʒ j. ß.
*foliorum auri & argenti ana num.* iiij.
*zuchari tabarzet* ℥ iiij.
*conſervæ violarum, intybi, & bugloſſæ ana* ℥ ß.
*pulveris trium ſantalorum* ʒ j.
*Zuchari* ℥ iiij.
fiat in modum conditi *& quando voluerit bibere, accipiat duo cochlearia iſtius conditi cum aqua hordei* ℥ vj.
cum qua admiſce *tria hujus julebi.*

℞. I*uleb violarum, & acetoſi. ſ. ana* ℥ iiij.
miſce *in amphora parva hæc pro ditioribus; & ſucci granatorum, aquæ cucumeris, & cucurbitæ, & intybi ana* ℥ vi.

*mucilaginis pſyllij* ℥ ß.
*aceti albi unciam unam, cum zucharo ſufficienti*; fiat juleb : *in cujus clarificatione ponantur quatuor ſeminum frigidorum minorum, ſantalorum rubeorum & alborum, ſpodij ana* ʒ j.
*camphoræ* ʒ ß.

hoc ægroto potum appetenti exhibito.

Licebit quoque ſuper linguam ægroti ariditate laborantis, electuarium diadragacanthi frigidi apponere, vel pilulas, bechicas, bichichias vocatas; vel pruna damaſcena, vel lactucam, vel pomum frigidum, vel aqua roſarum, & aceto gargarizare; vel aliquid de ſyrup. violarum lambendum, vel cucumeris partem mandendam permittere.

Si verò nimia ſimul & caliditate & ſiccitate laboret, miſceto has res, & ad gargariſmum exhibeto.

℞. *Aquæ arnogloſſæ* ℥ iij.
*aquæ roſarum* ℥ ij.
*rhodomellis* ʒ j. miſce.

Si glutiendi difficultatem nimia ariditas effecerit, lavet os & guttur aqua frigida; & deinde ſyrupum violatum frequenter lambat.

Si ægrotus anxiè habeat ob æſtatis calorem, vel quòd fumus ex bile cor petat, confectione cordiali juvandus eſt.

℞. *Theriacæ, citri, conſervæ roſarũ ana* ℥ j.
*cum*

*cum ſyrupo acetoſitatis citri*: fiat confectio pauperioribus commoda. Ditioribus verò;

℞. *Diamargaritonis f.* ℥ j. ß.
*ſeminis citri mundati, & ſeminis acetoſi, & bombacis ana* ℥ ij.
*cum ſyrupo bugloſſæ*: fiat Confectio.

Item hoc modo.

℞. *Confectionis hyacinthorum* ℥ j. ß.
*pulveris diamargaritonis f.* ℥ iij.
miſce *cum ſyrupo violarum*: fiat confectio. cujus cochlear unum ægroto cùm anxiè habet cum aquis roſarum & bugloſſæ bibendum exhibebis.

Si capitis dolore nimio, ex fumis à ventriculo ad caput ſublatis, afficiatur ægrotus, enæmatis prædictis ſæpius etiam adhibitis, & crurium fricatione ſuccurrendum eſt. Præterea etiam & pedum lotione ante ſomnum utendum hujuſmodi.

℞. *Florum roſarum rubrarum, foliorum vitis, & camomillæ ana m.* ij.
*florum camomillæ, & meliloti ana p.* j.
bulliant in aqua communi, qua per ſingulas noctes pedes laventur: & coxæ etiam ligenter, ut fumis à capite retractis dolor remittatur. frica etiam pedes cum linteo craſſo, in quo nonnihil ſalis aceto madefacti poſitum ſit. juverit etiã caput hoc medicamento confortare.

℞. *Aquæ roſarum ℥ iiij.*
*olei roſarum ℥ ij.*
*aceti ℥ ß.*
*ſantalorum rubeorum ʒ j.*
miſce, & fiat frontale in forma ſacculli. Item.

℞. *Coriandri præparati, roſarum rubearum ana ℥ ß.*
*corticum papaveris, florum camomillæ ana ʒ iij.*
*conquaſſentur, & in ſaccullo indita, atque roſarum aqua irrorata, capiti imponantur.*

Vigilia etiam nimia ex humiditatis, à caliditate & ſiccitate febris conſumptæ, defectu ægrotis nonnunquam accidit: cui coctis lactucis in cœna exhibitis, commodè aliquando ſubvenitur. Id cùm minus ſufficiat, papaveris cortices lactucis coquendis addantur. Sin hoc etiam non ſatis eſſe videatur, unguentum hoc applica.

℞. *Unguenti populeonis ℥ ß.*
*requiem Galeni ʒ iij.*
miſce. Quòd ſi neque his etiam remediis dormierit, hanc potionem duabus horis ante mediam noctem exhibeto.

℞. *Syrupi papaveris, & nenufaris ana ℥ j.*
*opij thebaici G ij.*
miſce, & bibat. Licebit etiam ſoporiferum hoc naſo indere.

℞.

℞. *Aquæ nenufaris ℥ ß.*
*requiem Galeni G.* iij.
*opii thebaici G.* iiij.
*aceti modicum*

his mixtis madefiat coccum vel bombyx, & intra naſum indatur.

Præterea illud attentè conſiderandum eſt, ſolere nonnunquam poſt criſim, caloris nonnihil reſidere; id quod ex ardoris ac ſitis ſenſu, & caliditate intra hepar, atque in volis manuum; ex vrinæ etiam tinctura deprehenditur. Illud in hac re perſpici operæpretium erit, an videlicet caliditas illa ex mala complexione, ſimul cum materia, an ſine materia etiam proveniat. Si materia non adſit, electuario quopiam complexionis malæ calidæ correctivo uti oportuerit: ut;

℞. *Electuarium, diatrium ſantalorum, aut diamargaritonis frigidi; & quo ego in regione noſtra commodè uſus ſum, confectionis bugloſſæ, cum aqua intybi, vel capillorum veneris, vel cichorei, vel nenufaris.* Proderit etiam ſingulis diebus binas tabellas hujus generis manè ediſſe, cum aqua aliqua commoda, vel ſyrupum aliquem caloris extinctivum bibere; ut violatum, vel zucharum roſatum comedere, vel hordeatum ſorbere; cui quatuor frigida ſemina addita ſint. Ipſa verò hepatis regio

bis

bis diebus ſingulis, manè & veſperi, roſato ſantalato dicto unguento commodè inungitur.

Si verò caliditatem ex mala complexione calida cum materia effici cognoveris; laxativa confectione, & correctivo, ſive alterativo, alternè uti oportebit, certis intervallis accipiendo. ut:

℞. *Confectionis diacatholiconis, caſiæ fiſtulæ præparatæ cum zucharo ana* ℥ j.
*quatuor ſeminum frigidorum mundatorum ana* ʒ j.
*pulveris diatrium, ſantalorum* ʒ j. ß.
*conſervæ roſarum piſtæ* ℥ ß.
*rhabarbari* ʒ j.
*pilorum ſpicæ* G. v.

*cum ſyrupo capillorum veneris.* fiat confectio: de qua accipiat unum cochlear una die cum aquis prædictis, ſcilicet capillorũ veneris, cichorei, intybi, & ſimilibus.

In declinatione etiam morbi enæmata quædam adhiberi poſſunt, partim eductiva; partim correctiva, ſive alterantia; & partim nutrientia. ut:

℞. *Caput hœdi collo abſciſſo & cerebro remoto, quod in aqua cum hordeo præparato coquatur, quoad oßa ſeparentur: ex hac decoctione* ℥ xvj.
*adde ovorum vitellos duos, olei violati* ℥ ij. *hoc per clyſterẽ adhibito:* præter ea quæ effici diximus, mala etiam complexio calida cor-

corrigitur, quæ renibus tertianam patientis ægroti ſæpe accidit. Renes autem ipſi exterius inunguntur hujuſmodi unguento.

℞ *Olei roſati magiſtri Arnoldi* ℥ j.
*aceti modicum*: miſce, *vel unguento roſato ſantalato*. His igitur remediis diligenter adhibitis, ſanitas ægrotanti, Deo propitio, reſtituitur.

Illud tamen animadvertere in omni hoc curationis capite oportuerit, ea quæ à nobis de evacuationibus initio dicta ſunt, de communi curationis genere, & opportunitate eſſe accipienda. namque de ea, quæ coacta cura dicitur, aliud eſt judicium. Si enim in ipſis morbi initiis bilioſam materiem, furentem, periculumque comminantem cognoveris, & membri alicujus raptum, vel cauſonem timueris, fortiori medicamento eradicativo aliquo initiis ipſis obſiſtendum eſt. Cujus generis illud.

℞. *Rhabarbari temperati in aqua intybi* ʒ j.
*pilorum ſpicæ* G. iiij.
*diaprunis ſolut*. ʒ ij. ſs.
*caſiæ fiſtulæ mundæ* ℥ j.
*diſſolve in aqua nenufaris, & bugloſſæ quantum ſatis fuerit. Aromatizetur autem cum* ʒ j.
*diarhodonis Abbatis*. Deinde deſcriptam à nobis viam inſiſtito: atque hoc modo ter-

tertianæ febris curam habeto; peritiſſimos autem practicos nocturna diurnaque manu verſato.

# DE CURATIONE tertianæ febris nothæ ex biliosa & pituitoſa materia.

## Cap. II.

Tertianæ ſpuriæ appellatæ, hujuſmodi indicia ſunt. Paroxiſmus ultra ſedecim horas durans, urina craſſæ ſubſtantiæ, & citrino colore; capitis gravedo, & ſimilia. Principio igitur cognoſcendum eſt, an materia vitioſa, nimia ſit, an modica; ſi modica fuerit, ut plurimum digerendo & evacuando, curatio inſtituitur. Igitur cùm materiam inobedientem fuiſſe intellexerit medicus, fortius aliquod enæma, quam pro ſimplici tertiana, parabit; majori multitudine, craſſitie, & viſcoſitate id poſtulante. Id autem hujuſmodi erit.

℞. *Malvæ, biſmalvæ, mercurialis ana man.* j.
*coquantur: in decoctione diſſolvatur caſiæ fiſtulæ* ℥ j.
*confectionis benedictæ* ʒ vj.
*olei communis* ℥ ij.
*ſalis* ʒ j. ß.

& efficiatur enæma. Deinde concoctivos ſyrupos ſingulis diebus manè exhibeat. ut: ℞.

℞. *Syrupi acetoſi, ſcilicet intybi, & rhodomellis ana* ℥ ß.
*aquarum intybi, cichorei, & bugloſſæ* ℥ j.
miſce, atque tribus diebus utere.

Poſt quos minorativum medicamentum propinandum eſt: ut illud;

℞. *Caſiæ fiſtulæ mundæ, rhodomellis ana* ℥ j.
*electuarij, diacartami* ʒ iij.

*cum aqua bugloſſi*; fiat potus exhibeaturque ante ortum ſolis, niſi paroxiſmus impediat: nam ſi tunc invaſerit, medicamentum hora quietis eſt exhibendum, quæcunque illa ſit. Quoniam verò febris tertiana notha plerunque ex materia craſſa & viſcoſa fit, idcirco una potione evacuari non poteſt. Quamobrem alij etiam ſyrupi parandi ſunt, qui & provocare magis, & materiam conjunctam diſſolvere magis poſſint. ut:

℞. *Syrupi acetoſi compoſiti de duabus radicibus* ℥ j.
*rhodomellis* ℥ ß.
*aquarum capillorum veneris, & fœniculi ana* ℥ j. ß.

ex quibus manè ſingulis diebus bibat ægrotus. Quod ſi poſt ſumptam potionem urina craſſior appareat omnino ſanguinem mittere expediet, uſque ad ℥ vj. & ſi iterum idem deprehendatur, iterum vena baſilica ſcindenda eſt, modò virtus conſtet, & alia particularis cauſa non inter-

intercedat: ut dolor capitis, qui ex cephalica ſanguinem mitti poſtulat, alias baſilica plerumque ſcindenda eſt: namque bilioſæ febris fons ut plurimum in hepate eſt. Syrupis autem ſumptis, & concoctionis apparentibus ſignis, eradicativa potio paretur.

℞. *Caſiæ fiſtulæ mundæ, & rhodomellis ana ℥ j.*
*rhabarbari electi infuſi in aqua intybi* ʒ j.
*pilorum ſpicæ* G iiij.
*electuarii, diacartami* ʒ iij.

*his in communi decoctione diſſolutis* potus paratur. Rhabarbari autem doſis ad proportionem abundantis bilis augenda eſt: diacartami verò ad pituitæ abundantiæ rationem addenda. Illud etiam ab Avicenna commendatum medicamentum commode in mixtione bilis & pituitæ exhibetur.

℞ *Turbith albi & gummoſi* ʒ j.
*ſcammonii* G. vj.
*ſalis gemmæ* ℈ ß.
*aquæ fœniculi. & rhodomellis ana* ℥ j.

fiat potius. Conſultiſſimũ autem eſt, correctis, & fermentatis potius medicamentis, quàm ſimplicibus fortiter ſolventibus, quæ ſua natura venenoſa plerumque ſunt, ut probè Meſues notat: ita ſi turbith & diacartami ſimul copia ſit, diacartami electuario tutius evacuamus, quod

quod correctius medicamentum ſit.

Quod ſi turbith, agarico, vel ſcammonio uti libeat, videndum an bilioſa materia cum pituitoſa mixta, pituitæ, humiditatem faciat, an non; ut in hemitritæa: ſi faciat, diacartamum exhibendum eſt, in cujus confectione ſcammonium intrat, & ad unam omnino formam redacta ſunt: & ſic purgabitur materia unita unitate formæ. Si verò utraque ſeorſum ſeparata materia eſt, agarico vel turbith, vel ſcammonio evacuare, Avicenna auctore, non nocuerit.

Poſtquam verò hoc medicamentum adhibitum fuerit, ſi tamen febris nondum abſit, quod materies multa, vel craſſa, vel viſcoſa eſt, atque ob eam rem ſecundum jam menſem morbus excedit, ſolicitè provideat medicus, an hypochondriorum partes bene tractabiles maneant, an non quas ſi oppilatas deprehenderit, vel ob bilis craſſitudinem, vel copiam, vel viſcoſitatem; fomentatione aliqua juvabit. ut.

℞ *Florum camomillæ, & meliloti ana m j.*
*abſinthii m. j. ß.*
*ſpicæ, roſarum rubearum ana ʒ ß.*

bulliant in tribus libris aquæ, & cum ſpongia intincta, atque deinde expreſſa fomentetur locus; ac deinde hujuſmodi unguento aliquo inungatur.

℞.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0265-6

℞. *Olei de ſpica, abſinthij & roſarū ana ℥ j. ceræ quantum ſufficiat*, & fiat unguentum: vel hujuſmodi aliquo emplaſtro uti conducet.
℞. *Florum camomillæ, meliloti, abſinthij, ſquinanti, ſpicæ, ſeminis carabi, tritorum ana ʒ j.*
*incorperentur etiam cum oleo abſinthij, camomillæ & ſpicæ, quantum ſufficiat.* fiat emplaſtrum quod regioni oppilatæ imponatur. Delicatiores verò, & inhyeme ob frigiditatem inungi & fomentari recuſantes, emplaſtri genere quopiam idoneo juneris. ut:
℞. *Maſſæ emplaſtri de meliloto, & diaquilonis, majoris, quantum ſufficiat*: & fiat ad formam idoneam, atque oppilato loco imponatur. Enæmatum autem adhibendorum obliviſci interim non oportet, quæ utiliſſima etiam ad hanc rem ſunt; qualia jam deſcripſimus. Illud etiam enæma commodum ad oppilationem fuerit.
℞. *Florum camomillæ, florum violarum ana m. j.*
*betæ, mercurialis ana m.* ß.
*ſeminis cartami* ʒ iij.
fiat decoctio *ad* ℥ xij.
*in quibus diſſolvatur confectionis hieræ logodionis* ℥ j.
*olei ſeſamini* ℥ iij.
fiat enæma. vel.
℞. Se-

℞. *Seminis aniſi, marathri, brancæ urſinæ, foliorum violarum m.* ß.
fiat decoctio ad ℥ viij.
in quibus diſſolvantur.
*confectionis benedictæ.*
*& hieræ picræ ana* ℥ ß.
*olei camomillæ & roſarum ana* ʒ j.
*ſalis communis* ʒ j. ß.
fiat enæma. vel;

℞. *Ficuum ſiccarum num.* vj.
*ſebeſten num.* iiij.
*foliorum violarum m.* ß.
*turbith, & ſeminum cartami ana* ʒ iij.
*bliti m.* j.
fiat decoctio, in qua diſſolvatur
*caſiæ fiſtulæ mundæ* ℥ j.
*olei camomillini* ℥ ij.
*ſalis communis* ʒ j. ß.
miſce & fiat clyſter. vel;

℞. *Prunorum damaſcenorum, meliloti, & furfuris ana m.* j.
fiat decoctio, in qua diſſolvatur
*rhodomellis & Zuchari rubei ana* ℥ iij.
*olei ſeſamini* ℥ j. ß.
*ſalis communis* ʒ j. ß.
miſce & fiat enæma.

Ad ejus verò materiæ, quæ febrem adhuc fovet & tardat, expulſionem & correctionem, hujuſmodi apozema præbetur, quod partim extinguat, partim etiam adaperiat.

℞ *Tamarindorum ſubtiliter inciſorum, ac deinde bene contuſorum* ℥ ij.
*radicum recentium probe contuſarum, intybi, cichorei & apii ana m.* iij.
*hordei bene contuſi, & paſſularum detractis acinis contuſarum ana p.* iiij.
*conſervæ nenufaris* ℥ ij.
*prunorum damaſcenorum ſubtiliter inciſorum num.* xv.
fiat decoctio ex arte, *in lib.* xij.
*aquæ, quouſque remaneant lib.* viij.
*& facta forti expreſſione, & colatura, adde ſyrupi violati, & oxyſacchari ſcilicet & ſyrupi de duabus radicibus, ana* ℥ iiij.

miſce, & fiat apozema: ex quo ſingulis diebus manè ℥ xij. bibito, & veſperi tantundem. Conferet etiam plurimum apozematis loco ſyrupus apozematus præſtantis in ea re virtutis. ut;

℞ *Aquarum abſinthii, apii & fœniculi, & ſcariolæ ana* ℥ iiij.
*& de byzantiis, & acetoſi, & de duabus radicibus ana* ℥ iij.
*azari, ſquinanti, ſantalorum rubeorum ana* ʒ j.
*quæ in ligatura ponantur* : *&* fiat apozematus. Item.

℞. *Pulveris trochiſcorum de eupatorio* ʒ ij.
*pulveris diatrium ſantalorum* ʒ j.
*Zuchari infuſi in aqua abſinthij & fœniculi* ana

*ana quantum ſufficiat*, & fiat electuarium in tabulis. Item:

℞. *Caſiæ fiſtulæ præparatæ cum zucharo,*
*& electuarij diacartami ana* ℥ j.
*rhabarbari* ʒ j. ß.
*quatuor ſeminum frigidorum majorum*
*mundatorum ana* ʒ ß.

*cum ſyrupo capillorum veneris*: fiat confectio opiata. vel;

℞. *Turbith albi & gummoſi* ʒ ij.
*agarici* ʒ j.
*caſiæ fiſtulæ* ℥ ij.
*diacridij G.* x.

*cum ſyrupo acetoſo de duabus radicibus*, & fiat confectio opiata. vel;

℞. *Hieræ logodionis, & caſiæ fiſtulæ ana* ℥ j.
miſce. vel;

℞. *Pulveris hieræ picræ Gal.* ʒ iij. ß.
*caſiæ fiſtulæ præparatæ ana* ℥ j.
*quatuor ſeminum frigidorum mundatorum*
*ana* ʒ j.

*cum ſyrupo acetoſo*: fiat confectio. &;

℞. *Aquarum ſcariolæ & fœniculi ana* ℥ iij.
miſce. Hoc igitur modo producenda curatio eſt, concoquendo, & evacuando medicamento ſorti debili mixto. nam duabus diebus exhibebis ex prædicto ſyrupo apozemato ℥ viij. cum binis tabulis prædicti electuarij: quarta autem die cochlear unum prædictarum confectionum diſſolutarum cum ℥ vj. dictæ aquæ:

 atque

atque ita concoquendo, & evacuando, conſervando virtutem cum medicina forti in virtute, & debili in evacuatione, liberabitur Deo auxiliatore ægrotus.

¶ Si quis verò à confectionibus hujuſmodi abhorrens, refugiat, hujuſmodi pilulis curabitur.

℞ *Maſſæ pilularum rhabarbari, & de agarico ana* ℥ ß.

cum aqua fœniculi formentur pilulæ ciceris magnitudine ad uſum; quas per intervalla accipiat ægrotus, ſicut de confectionibus dictum eſt: id autem fiet, cùm ægrotus dormire intendit. Cùm nimia quantitate materia eſt, ut in tertianis nothis plerumque accidit, illud pervidendum eſt, num adeo copioſa ſit, ut concoctionis expectatio periculum mortis minetur ob materiæ ſuffocationem: namque in hoc genere eradicantibus medicamentis ſtatim ab initio, ut jam diximus, uti oportuerit; quanquam materia ipſa concocta non ſit; id quod ab Hippocrate apertè præcipitur in principiis morborum, &c. At verò minore exiſtente copia, ut plerumque fit, minorativum medicamentum ante ſyruporum etiam uſum adhiberi conveniet. ut illud:

℞. *Florum violarum, borraginis & bugloſſæ ana* ʒ j.

*pru-*

*prunorum damaſcenorum enucleatorum num.* xij.
*paſſularum detractis acinis pug.* j
bulliant *in aqua communi, in qua diſſolvatur rhodomellis, & caſiæ fiſtulæ mundæ ana* ℥ j.
*rhabarbari electi temperati in aqua intybi* ʒ j.
*pilorum ſpicæ G.* iiij.
*electuarij diacartami* ʒ iij.
fiat potus.

Accidit etiam aliquando tertianam ex bilioſo humore cum atra bili mixto provenire, proſpiciendum eſt, an melancholicus ille humor ex aduſtione ſui ipſius, videlicet melancholici humoris naturalis cum bili, an etiam non naturalis, ſed accidentali aduſtione factus ſit. Si naturalis eſt, naturalibus prædictis intentionibus eſt procedendum per enæmata concoquendo, atque evacuando etiam, quorum hujuſmodi deſcriptio ſit.

℞. *Hordei, mercurialis, malvæ, violarum, ſpinaciæ, borraginis ana m.* j.
fiat decoctio; *in qua diſſolvatur pulvis hieræ gallæ* ʒ ij.
*caſiæ mundæ* ℥ j.
*olei communis* ℥ ij.
*ſalis communis* ʒ j.
fiat enæma: & tunc applica etiam ſyrupos. ut;



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0271-9

℞. *Syrupum bugloſſi, & acetoſæ, ſcilicet ana* ℥ iij.
*aquarum bugloſſæ, & intybi ana* ℥ j. ß.
vel magiſtralem aliquem hujuſmodi.
℞. *Florum bugloſſæ, borraginis, & violarum ana m.* j.
*radicis petroſelini & fœniculi ana m.* ß.
*meliſſæ, ſcolopendræ ana m.* j.
fiat decoctio, *& cum lib.* j.
*Zuchari, & aceti* ℥ iij.
fiat ſyrupus: *& adde aquarum bugloſſi & cichorei*: atque ex his bibat ſingulis diebus, mane & veſperi: ubi verò concocta materies fuerit, hujuſmodi potionem exhibeto.
℞. *Florum bugloſſæ, violarum, borraginis; ſeminis aniſi & marathri ana* ℨ ij.
*liquiritiæ raſæ conquaßatæ m.* j.
fiat decoctio; *in qua diſſolvatur caſiæ fiſtulæ mundæ, & confectionis diaſenæ ana* ℥ ß.
*electuarij de ſucco roſarum* ℨ iij.
fiat potus: dulcoretur cum ſyrupo violarum.

Advertendum tamen eſt, non oportere, ut diæta ad eam frigiditatem declinet, quæ in tertianæ ſimplici exigitur, ob melancholici humoris admixtionem; qui frigidæ complexionis eſt.

Si verò ex bili calida tertiana proveniat, cujus pars aliqua aduſta in melan-

cho-

choliam converſa fuerit non naturalem, prædicti canones tibi etiam obſervandi ſunt. nam aut regulariter procedendum eſt, aut irregulariter, ſi non regulariter, quòd materia nimia ſit, eradicativo utendum eſt. ſi verò nimia non ſit, minorativo. Si autem regulariter agendum tibi fuerit, enæmatibus, concoctione, & deinde evacuatione opus erit. Erit igitur uſui hujuſmodi clyſter.

℞. *Foliorum violarum, hordei mundi, & foliorum malvarum ana m. j.*
fiat decoctio: *in qua diſſolvatur medullæ caſiæ fiſtulæ* ℥ j.
*vitelli ovorũ duorum, olei violarum* ℥ iij.
*ſalis* ʒ j. ß.

fiat enæma. Syrupum verò hujuſmodi conſtitues concoctivum.

℞. *Syrupi violarum & intybi ana q. ſ.* iij. *vel* ℥ j.
*aquarum intybi & lupulorum ana* ℥ j. ß.

miſce. vel;

℞. *Syrupi bugloſſæ & oxyſacchari ſcilicet ana q. ſ.* iij.

*cum aquis, &c.* Magiſtralis etiam ſic paratur.

℞. *Aquæ fumariæ* ʒ vj.
*aquæ bugloſſæ, roſarum intybi ana* ℥ iij.
*aceti* ℥ j.

*cum zucharo*: fiat ſyrupus. vel;

℞. *Quatuor ſeminum frigidorum communiũ ana* ℥ j.

 *florum*

*florum violarum, borraginis, & bugloßæ, roſarum, & ſcariolæ ana p. j.*
*ſucci borraginis, fumariæ, & pomorum grati odoris acetoſorum ana* ℥ iij.
*ſcolopendræ m. j.* ß.
bulliant *ſimul in lib.* j.
*aquæ ad conſumptionem tertiæ partis, & cum tribus lib. zuchari*: fiat ſyrupus: de quo accipiat ſingulis diebus manè ſeptena cochlearia cum prædictis aquis. Materia autem concocta, potionem hanc exhibeto.

℞. *Confectionis hamech* ℥ iij.
*caſiæ mundæ* ℥ j.
*diſſolvatur in aqua intybi*, & fiat potus; *dulcoreturque cum ſyrupi violarum* ℥ j. vel;

℞. *Epithymi, folliculorum ſenæ, hordei mundi, florum violarum, borraginis & bugloſſi ana* ℥ j. ß.
fiat decoctio: *in qua dißolvatur rhabarbari infuſi in aqua intybi* ℈ iiij.
*caſiæ mundæ* ℥ j.
*diſſolvatur in ſero caprino*, & fiat potus. vel:

℞. *Confectionis hamech, electuarij de ſucco roſarum ana* ℥ ij. *vel* iij.
*incorporentur*, & fiat bolus cum *zucharo*.

Quod ſi febris nondum diſceſſerit, commodis & idoneis medicamentis, ut in tertiana notha celebriori agendum eſt, concoquendo & evacuando adhibita

forti

forti & debili medicina, ut confectione aliqua hujuſmodi.

℞. *Confectionis hamech, electuarij de ſucco roſarum ana* ℥ ij.
*quatuor ſeminum frigidorum mundatorum omnium ana* ℥ iij.
*incorporentur cum ſyrupo violarum*, & fiat confectio. vel;

℞. *Confectionis diaſenæ, caſiæ præparatæ cum zucharo ana* ℥ j.
*rhabarbari electi* ʒ ij.
*pilorum ſpicæ* G. viij.
miſce *cum ſyrupo violarum*, & fiat confectio. Item:

℞. *Pulveris diatrium ſantalorum, trochiſcorum raſis, & de rhabarbaro ana* ʒ j.
*conſervæ bugloſſi* ʒ iij.
*zuchari infuſi in aqua intybi, quantum ſufficiat.* fiat electuarium in tabulis. Item.

℞. *Syrupi bugloſſæ, intybi, capillorum veneris ana* ℥ iiij.
*aquam lupulorum, & radicum diureticarum ana* ℥ iij.
*cum zucharo ſufficienti* fiat ſyrupus apozematus, de quo ægrotus ſumat duabus diebus uncias binas cum duabus tabulis: & ſi libuerit confectionis partem ſumere, ſumat. vel ex his pilulis.

℞. *Maſſæ pilularum de rhabarbaro, & Indiarum ana* ʒ ß.
*diacridij* G. viij.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0275-2 DFG

*cum aquæ intybi* fermententur pilulæ num. xij. ad uſum ſingulis vicibus.

## DE TERTIANA continua.

### Cap. III.

Tertianæ continuæ dictæ à minori paroxiſmo inchoari ſolent, quæ an ſimplices ſint, videndum in primis eſt. Id autem tertianæ ſimplicis ſignis indicatur, atque eodem omnino modo quo ſimplex tertiana curatur. Quòd ſi compoſitam eſſe cognoveris, quonam modo, aut quo humore componi contingat, continuò eſt conſiderandum. nam vel cum bili atra, vel cum pituita componitur. Rurſus atra bilis in naturalem & accidentalem dividitur. Accidentalem autem eam dicimus, quæ ex aduſtione fiat. Utriuſque autem materiæ concoquendæ atque evacuandæ formulam ſuperius deſcripſimus.

Illud tamen cognoſcere operæpretium eſt, hanc continuam tertianam, ut interpolata, graviorem, deteriora etiam efficere ſymptomata, tam in membris mobilibus, quam in internis; atque in his etiam quæ per directionem cum corde continua ſunt; ea autem ſymptomata hu-

hujuſmodi plerumque ſunt. Primum capitis gravedo, ac dolor; cui levando ante materiam purgatam nihil eſt apponendum. Eum autem dolorem ſi vapor nimia febri excitatus, atque ad caput delatus effecerit, diverſoriis enæmatibus, fricationibus, lotionibus pedum. à nobis jam deſcriptis, levabis: deinde confortantibus illis capiti adhibitis. tum verò conſiderare oportuerit, an fumi illi ſimplices ſint, hoc eſt, calidi ac ſicci quibus ſanguinis miſſio conveniet, ut diximus in dolore capitis, in tertiana ſimplici, ac pura: Si verò compoſiti fumi ſint, ex vaporum humidorum aduſtione, ut ferè in tertiana notha accidit, frontale adhibebis hujuſmodi.

℞. *Olei roſarum & camomillæ ana* ℥ j.
*caſiæ ligneæ* ℈ j.
*ſantalorum rubeorum* ʒ j.

miſce. Idem in unguenti formam redigere licebit. ut;

℞. *Olei camomillini & roſarum ana* ℥ j.

cum cera fiat unguentum. Item ſacculum hujuſmodi ſi libeat, imponito.

℞. *Coriandri præparati, roſarum rubearum ana* ʒ ij.
*florum camomillæ, meliloti ana* ʒ iiij.
*ſantalorum rubeorum* ʒ j.

conquaſſentur, & fiat ſacculus. Purgata autem materia, apozema illud commo-

dè dabis, quod in cap. de tertiana notha deſcripſimus.

Accidunt etiam nonnunquam hujuſmodi febre laborantibus angores, ob caliditatem nimiam atque mobilitatem humorum: in quibus cordialia opportunè parantur, puræ ac mixtæ materiæ ratione habita; & iis adhibitis in pura, quæ de pura tertiana docuimus: in mixta verò materia hujuſmodi cordialibus utitor; maximè ſi bili pituita miſceatur.

℞. *Pulveris diamargaritonis* ℨ ß.
*theriacæ de citro, limonatæ, ſmaragdorum ana* ℥ ß.
miſce cum *ſyrupo bugloſſi*: fiat confectio cum *aquis bugloſſi, & intybi.* Vel alia etiam magiſtralis confectio paretur.

℞. *Confectionis hyacinthorum, confectionis alchermes, pulveris diamargaritonis frigidi ana* ℨ j. ß.
miſce *cum ſyrupo acetoſitatis citri*; fiat confectio. vel;

℞. *Conſervarũ bugloßæ & roſarũ ana* ℥ ß.
*ſeminis citri mundati, ſeminis acetoſæ & borraginis ana* ℥ j. ß.
*cum ſyrupo acetoſitatis citri*: fiat confectio. vel;

℞. *Radicũ tormentillæ & zedoariæ ana* ℨ ij.
*ben albi & rubei ana* ℨ j.
*conſervæ roſarum* ℥ ß.

*ſy-*

*ſyrupi violarum quantum ſufficiat*: fiat confectio. De omnibus iſtis compoſitionibus poterit ægroto hora anguſtiæ unum cochlear exhiberi cum aquis prædictis. Qui ſi delicatior ſit, & hujuſmodi confectiones accipere recuſaverit, electuarium in tabulis conſtituito. vt;

℞. *Pulveris electuarij diamargaritonis* ʒ j.
*pulveris diacameronis* ℈ ij.
*zuchari infuſi in aqua bugloſſæ quantum ſufficiat*: fiat electuarium in tabulis. Si tamen nimia etiam ſiti, delicatioreque complexione laborat, hujuſmodi reſtaurativum cordiale utrique intentioni idoneum conficito.

℞. *Conſervæ bugloſſi & roſarum ana* ℥ iij.
*conſervæ cichorei* ℥ ij.
*pulveris electuarij diatrium ſantalorum, diamargaritonis frigidi ana* ʒ j.
*corticum citri cum zucharo conditi* ʒ iij.
*zuchari* ℥ iiij.
miſce, & fiat conditum inauratum. Vel hujuſmodi epithema imponito.

℞. *Florum bugloſſæ, corticum citri, florum borraginis & violarum ana* ʒ ß.
*ſantalorum omnium ana* ʒ j. ß.
*corallij rubei* ʒ ß.
*trochiſcorum de camphora* ʒ j.
*aquæ meliſſæ & roſarum ana* ℥ iiij.
miſceantur, & fiat epithema. Si quic-

quam præterea ſymptomatis ſuperveniet, conſule caput de tertiana canonis tertii, & hoc modo Dei beneficio ægrotus valebit.

# DE CURATIONE Cauſonis.

## CAP. IIII.

Sitis vehementiſſima, atque æſtus, & linguæ ariditas, citrinusque ac niger color, & acceſſionum vix perceptibile diſcrimen, æqualiâque ferè ſymptomatum tempora: vigiliæ præterea, inquietudines, mentis perturbationes, capitis gravedines, temporum pulſationes, oculorum cavitas, urinæ citrinus color, pulſus velox aç vehemens, cauſonis indicia ſunt. Duo autem ejus morbi genera ſunt: unum quod ex bilioſo humore fit, & cauſon cholerica appellatur: id ex tertianæ ſimplicis ſignis dignoſcitur, cujus curatio hoc modo inſtituitur. Principio ſtatuere oportuerit in hoc morbo, in quo nimia intenſio & aduſtio eſt, omnem moram, induciasque omnes eſſe periculoſas; laudaríque in primis celeritatem. Igitur urinæ turbiditate, craſſitie, ac rubedine perſpecta, hujuſmodi enæma parari jubebis.

℞. *Violarum, malvarum, lactucæ, ſempervivæ, foliorum nenufaris ana m. j,*

fiat

fiat decoctio ad ℥ xij.
*in qua diſſolvantur vitelli ovorum duo, olei violarum* ℥ iij.
*caſiæ fiſtulæ mundæ* ℥ j.
*zuchari rubei* ℥ j.
miſce, & fiat enæma. vel;
℞. *Decoctionis foliorum violarum lib.* 1.
*ſucci cucurbitæ* ℥ iij.
*olei roſarum & violarum ana* ℥ j. ß,
*Camphoræ* G. iiij.
*Salis communis* ℥ j.
miſceantur, & fiat enæma. Aut aliud quodvis ex iis quæ in cap. de tertiana ſimplici pura præcepimus. ſed in hac febri frigidioribus ſemper utendum eſt, propter majorem caloris intenſionem. Enæmate autem adhibito, ſtatim ſanguis ex vena communi, ſi nimis abundans videatur, mittendus eſt; vel ex baſilica. Neque verò ſanguinis miſſio tardanda eſt: quandoquidem phrenitis periculum vehementer timetur, caliditate in horas adaucta, bilem ipſam acuente, atque ad princeps membrum, quale cerebrum eſt, tollente; unde vel phrenitis, vel deliria fiunt. At verò ſanguinis miſſio parcè fiat, ne nimium bilis ipſa effervescat. Hujuſmodi venæ ſectio Enentativa phlebotomia ab Arnaldo dicitur.

¶ Si autem urina apparuerit citrina ignea, ſine admixtione ſanguinis, enæma-

tibus & evacuationibus inſtituenda curatio eſt; ob vehementem autem morbi ſine induciis celeritatem, hujuſmodi potionem ordinabis.

℞. *Florum violarum, borraginis ana* ℥. ß.
*prunorum damaſcenorum n.* xx.
fiat decoctio: in qua diſſolvantur *caſiæ fiſtulæ mundæ, & tamarindorũ ana* ʒ vj.
*rhabarbari electi infuſi in aqua intybi* ʒ j. ß.
*pilorum ſpicæ*, G iiij.

miſceantur, & fiat potus, dulcorentur cum ſyrupo violarum ℥ j. vel;

℞. *Caſiæ fiſtulæ mundæ* ℥ j.
*diaprunis laxativi* ʒ ij. ß.
*diſſolvatur in decoctione communi & tamarindorum* ℥ ß.

& fiat potus. Conſule etiam caput de tertiana ſimplici & pura.

¶ Poſtera die manè clyſterem conſtitues, qua caliditas mitigetur, & materia fervens ex inteſtinis pellatur, ne longius detenta lædat, excoriationemque efficiat, unde dyſenteria eveniat. Ejus hic modus eſto.

℞. *Hordei mundi p.* iij.
*foliorum violarum, & betæ ana man.* j.
bulliant *cum capite hædi, vel cum cruribus, & clunibus pulli; & in ejus decoctionis* ℥ xij.
*diſsolvantur vitelli ovorum trium, olei violarum* ℥ ij.

fiat

fiat enæma. Ordinabis etiam ſyrupos digeſtivos, de quibus accipiet ſingulis diebus manè. ut;

℞. *Syrupi violarum, acetoſitatis citri, vel nenufaris ana* ℥ j.
*cum aquis.*

Caliditate autem intenſiore exiſtente;

℞. *Syrupi papaveris* ℥ j.
*ſyrupi intybi & acetoſitatis citri ana* ℥ ß.
miſce. Item etiam *aquæ cucurbitæ, lactucæ, bugloſſi, vel aquæ nenufaris, & cichorei.*

Et poteris facere ſyrupum magiſtralem.

℞. *Caput papaveris, capillorum veneris viridium, intybi, lactucæ, ſcariolæ, portulacæ, roſtri porcini, florum violarum, & nenufaris ana* ℥ j.
*quatuor ſeminum frigidorum ana* ℥ ij.
fiat decoctio: *& ſingulis ſeſquilibris adde zuchari lib.* j. ß.
*& in clarificatione addatur aquæ intybi, & ſucci malorum granatorum acetoſorum ana lib.* ß.

& fiat ſyrupus: ex quo ſingulis diebus mane bibat ℥ ij. cum tribus unciis aquarum prædictarum; & veſperi etiam tantundem. Interim tamen enæmata ſingulis diebus accipienda non intermittantur, ut lenis alvus ſemper conſervetur; niſi tamen: ipſa ſponte ſua ſatisfaciat. Quoniam verò vehemens ſitis, hujus febris

furi-

furibundo ardore efficitur, aquã ex hordeo mũdo decoquere oportuerit, & condita parare: quæ quamvis multa ſatis in capite de tertiana ſimplici, tamen alia cordialia frigidiora deſcribi poſſunt, quæ idonea magis ad hanc rem ſint, quòd major ſiccitas & calor in hoc morbo ſit. ut;

℞. *Margaritarum perforatarum, & non perforatarum, hyacinthorum, ſapphirorum, ſmaragdorum ana ʒ ß.*
*ſeminis melonum, cucurbitæ, cucumeris & citruli mundatorum ana ʒ j. ß.*
*trochiſcorum de roſis ʒ j.*
*confectionis hyacinthorum ʒ ß.*
*oſſis de corde cervi num.* iij.
*auri & argentj ana panes* iiij.
*zuchari candi violati ℥ j. ß.*
*conſervæ nenufaris, violarum & bugloſſi ana ℥ j.*
*zuchari tabarzet ℥ iiij.*

Miſce, & fiat conditum inauratum. Utiliter etiam & ad hunc morbum epithemata cordis regioni imponenda parantur, qualia in cap. de tertianæ curatione deſcripſimus; & alia etiam hujuſmodi.

℞. *Serici crudi minutim conciſi, oſſis de corde cervi ana ℈ j.*
*ſpodij. ʒ ß.*
*croci ℈ ß.*
*camphoræ G. vj.*
*fragmentorum lapidũ pretioſorum ʒ j. ß.*

*ſan-*

*ſantalorum & coralli rubei ana ℨ j.*
*aquæ roſarum lib. 1.*
*vini albi odorati, & aceti albi ana ℥ ß.*
miſce, & fiat epithema, in qua granæ pannus madefactus cordis regioni imponatur.

¶ Hepatis quoque epithema non inconcinnè adhibetur. ut;

℞. *Aquæ intybi & cucurbitæ ana ℥ iiij.*
*aquæ lactucæ, & roſarum ana ℥ ij. ß.*
*aceti ℥ j.*
*ſantalorum omnium ℈ j.*
*ſpodij ℈ ß.*
*camphoræ G. vj.*
miſce, & impone hepati ut epithema. Eidem etiam hujuſmodi unguento rectè medeberis.

℞. *Spodij, ſantalorum rubeorũ ana ℨ j. ß.*
*unguenti roſati ſantalati ℥ j. ß.*
miſce, & fiat unguentum pro hepate. Renes etiam ſic inungito.

℞. *Olei roſarum Arnaldi: olei violarum, ſucci lactucæ ana ℥ ß.*
*ſpodij ℨ j,*
*ceræ albæ quantum ſufficiat*, & fiat unguentum. Non incommodè quoque hujus unguenti loco pannus ex lino, aceto, & aqua roſarum & roſaceo intinctus imponitur. Conferet etiam ægroto frigidarũ rerum olfactio, qua calidi & ſicci vaporis ad cerebrum aſcenſus reprimatur. ut;

℞. A-

℞. *Aquæ florum nenufaris* ℥ iij.
*aquæ roſarum* ℥ j. ſ℞.
*ſantalorum citrinorum* ℥ j. ſ℞.
*ſantalorum rubeorum* ℥ j.

miſceantur omnia in vaſculo: quæ ſæpe agitans ægrotus olfaciat. vel hujuſmodi confectum pomum olfaciendum præbeto.

℞. *Santalorum rubeorum, coralli rubei, florum nenufaris, & violarum ana* ℥ ij.
*balauſtiorum* ℥ j.
*camphoræ* ℥ ſ℞.

*pulverizentur ſubtiliter, & cum aqua roſarum, & exigua aceti portione* fiat pomum perforatum, & ſuſpendatur ad collum, quod ſemper fricando olfaciat. Frontale etiam ad vapores prohibendos imponere conducet.

℞. *Aquæ roſarum* ℥ iij.
*florum nenufaris & violarum ana* ℥ j. ſ℞.
*aceti* ℥ j.
*ſantalorum rubeorum* ℥ ij.
*boli armenici* ℥ j.

miſceto, atque linum intingito quod fronti & temporibus imponatur. Quod ſi immodica vigilia adſit, vel ſoporiferis remediis is capite de tertiana ſimplici deſcriptis, vel aliis hujuſmodi utere.

℞. *Pulveris papaveris albi* ℥ iiij.
*quem ovi albo, & aqua roſarum diſtemperabis: adde aceti aliquantulum, & olei*

*etiam papaverum, vel nenuſaris, atque epithematis modo fronti impoſito.*

¶ Jam verò cùm nimia caliditate corpus nimium reſolvi deprehenderis, hujuſmodi unguento pectus & nucam inungito. ut;

℞. *Olei violarum* ℥ j. ß.
*olei nenuſaris, & pinguedinis gallinæ ana* ℥ j.

fiat unguentum cum cera, & pauca aqua plantaginis lavetur, & ungatur pectus & nuca.

His diligenter perfectis, materiam ipſam hoc modo eradicare curabis, vel eradicativas potiones primum ordinabis, quas in capite de tertiana deſcripſimus, vel hujuſmodi aliàs.

℞. *Diaprunis ſolutivi* ʒ iiij.
*diſſolvantur in aqua decoctionis tamarindorum* ℥ j.
& fiat potus: *dulcoretur cum ſyrupo violarum* ℥ j.
*& aromatizetur cum pulveribus diamargaritonis frigidi* ℥ j.

materia autem eradicata, urinæ provocativis uteris cum evulſione ſeminum frigidorum, & ſyrupo capillorum veneris, & electuario diatrium ſantalorum, & trochiſcis de camphora, & de roſis: & ſi huic ſupervenerit fluxus ventris, ut nonnunquam accidere Avicennas ait,

ap-

applicabis trochiſcos de ſpodio ex ejuſdem deſcriptione.

℞. *Trochiſcorum de ſpodio, ſeminis acetoſæ ana* ʒ j. ß.
*aquæ cucurbitæ* ℥ vj.

miſce, & ſingulis diebus manè accipiat ægrotus ʒ j. cum ℥ iij. aquarum prædictarum: & ad reſumptionem caliditatis hepatis procede ſicut in tertiana ſimplici cum unctionibus & epithematis.

¶ In pituitoſo cauſone, curatio inſtituitur evacuando in principiis, & concoquendo iiſdem, de quibus antè diximus, medicamentis, cùm de tertiana notha ageremus; & eodem etiam apozemate: quandoquidem eadem materia eſt. Atque hæ febrium ex bili pura ſimplici, vel compoſita, curandi ratio eſt.

## DE FEBRIUM QUÆ ex ſanguine fiunt curatione.

### CAP. V.

SAnguineæ febris ſynochæ dictæ ſigna hæc ſunt Febris aſſidua, & inſeparabilis rubedo in facie, venarum, arteriarum, atque temporum inflatio, & laſſitudo corporis totius cum ſomnolentia, atque reſpirationis difficultate. Præterea urina rubra, & craſſa, pulſus plenus & undoſus.

Principio igitur hujuſmodi enæma parari jubeto.

℞. *Foliorum malvarum, & violarum ana m.* j.
fiat decoctio: *de qua accipe lib* j. & ß.
*in qua diſſolvatur caſiæ fiſtulæ mundæ* ℥ j.
*olei violarum* ℥ j. ß.
*ſalis* ℥ ij.

fiat enæma. Si tamen ægrotus enæma pati nolit, & morbus inducias dat, hujuſmodi potionem exhibeto. ut;

℞. *Capillorum veneris, florum bugloſſi, borraginis & violarum ana m.* ß.
*prunorum damaſcenorum num.* viij.
*tamarindorum* ℥ ß.
fiat decoctio: *de qua accipiat* ℥ iiij.
*in quibus diſſolve caſiæ fiſtulæ mundæ, & ſyrupi violarum ana* ℥ j.

vel illud Avicennæ exhibebis:

℞. *Syrupi violarum* ℥ j.
*ſucci granati dulcis* ℥ ß.
*aquæ intybi, zuchari* ℥ ij.
miſce, & fiat potus.

Hoc accepto, niſi repletio nauſeatica adſit, vena communi inciſa ſanguinem uſque ad animi etiam (ſi opus fuerit) deliquium mittito: plerumque autem potior eſt numeri multiplicatio, quam quantitatis.

Perſæpe autem accidere ſolet, ut in plethorico corpore venæ difficillimè inve-

niri poſſint, atque ex conſequenti, neque ſanguinis miſſio fieri. Huic verò ſanguiſugæ applicandæ ſunt in coxis, tibiis, & ſpatulis: ſi verò ſanguiſugis commodè uti nequeas, ventoſæ in coxis, & ſcapulis cum ſcarificatione apponantur, aut hæmorrhoidæ, aut menſtrua, aut ſanguis ex naribus provocentur.

Poſt ſanguinis autem miſſionem, cum nondum plenè febris abierit, ſyrupos quoſdam malæ complexionis correctivos, & concoctivos exhibebis.

℞. *Oxyſacchari ſcilicet, & ſyrupi intybi ana* ℥ j.
*aquarum intybi & cichorei ana* ℥ j. ß.

*vel ſyrupos violarum, nenufaris, & acetoſitatis citri, vel papaveris*, prout major vel minor refrigerandi neceſſitas poſtulaverit. Neque tamen interim enæmata prætermittenda ſunt, dum ſyrupi concoctivi ſumuntur.

Quoniam verò febris hæc ſomnum inducit, deſcriptis à nobis pedum lotionibus, crurum fricationibus fortibus ad divertendum uti oportuerit: nec non & faciem lavare, atque ſæpius etiam aquam inſpergere roſarum aceto commixtam, aut roſarum ſolam. Laboranti etiam nimia ſiti ægroto conditum dabis, quale in tertianæ ſimplicis curatione deſcripſimus,

ſimus, & cum eo aquam hordei bibendam, vel aquam frigidam copioſè, ſi nimia adſit caliditas; neque aliunde potus hic impediatur. Utile autem & hoc conditum ad eam rem fuerit.

℞. *Conſervæ roſarum, bugloſſi, & borraginis, & violarum ana* ℥ j.
*quatuor ſeminum frigidorum mundatorum omnium ana* ʒ j. ß.
*ſantalorum rubeorum* ʒ j. ß.
*margaritarum* ʒ j.
*auri & argenti ana p.* iiij.

*zuchari tabarzet, & zuchari candidi violati ana quantum ſufficit*, & fiat conditum inauratum. Epithema etiam hepati & cordi utiliter imponitur, & renibus etiam, ut dictum eſt in capite de Cauſone. Si tamen perſeverat adhuc febris, & urina rubea ac craſſa, & quaſi perturbata oſtenditur, ad lividitatem vergens; & ſyſtole præterea impulſu augetur, indicium eſt ſynocham febrim in ſynochum converti, quamobrem ſynochi curatione utendum eſt.

DE

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0291-4

# DE CURATIONE febris ſanguineæ ex ſanguine putrefacto, quæ Synochus dicitur.

## Cap. VI.

Accidentia omnia quæ in febri ſynocha obſervata ſunt, vehementiora tamen, cum urinæ lividitate, rubedine, & craſſitie, anguſtiáque nimia, reſpirationisque major frequentia, ex nimio caumate in ſpiritualibus membris: caliditas præterea & mordicatio, ut in ſynocha, ob materiæ putredinem ſynochum hæc omnia indicant.

Igitur enæmate in primis applicato, ſanguis ex communi vena pro virtutis & neceſſitatis ratione mittendus eſt: tantum autem ſanguinis, quantum in ſynocha extrahi oportuerit, ne bilis ipſius frenum auferatur. At verò venæ ſectionem ob debilitatem ſui recuſanti ægroto potus phlebotomiæ loco exhibetur; qualem Avicennas in capite de curatione hujus febris præcepit. Vena jam ſecta, reliqui ſanguinis corruptionem cavere operæpretium eſt: id commodè fiet ſyrupis concoctivis. ut;

℞. *Syrupi intybi & violarum ana ℥ j.*
*aquarum cichorei, & intybi, & bugloſſi ana ℥ j.*

de

de quibus accipiat ægrotus ſingulis diebus manè & veſperi. vel magiſtrale hujuſmodi.

℞. *Intybi, ſcariolæ, cichorei ana m.* ij.
*quatuor ſeminum frigidorum ana* ℥ j.
*ſantalorum rubeorum* ℥ ß.

*cum zucharo*; fiat ſyrupus: accipianturque ex eo ſingulis diebus manè ℥ ij. cum aqua cichorei. Ad accidentia verò, quæ ex hac febri fiunt curanda, ut capitis vehementem dolorem, nimiam ſitim, linguæ nigredinem, cauſonides, & tertianæ ſimplicis curationem à nobis deſcriptam conſulito, vel hujuſmodi ad eam rem Juleb conſtituito.

℞. *Syrupi acetoſitatis citri, ſyrupi acetoſæ, aquæ nenufaris, ſucci granatorum muzorum, aquæ cucurbitæ, & nenufaris ana* ℥ iiij.

fiat juleb: *& aromatizetur cum* ℥ j.
*ſantalorum rubeorum, camphoræ* G. iiij.
& immittatur in vaſe; ex quo ægrotus bibat. Confert etiam ſacculus plenus ſemine citoniorum & pſyllij: conferunt pilulæ ſub lingua contentæ hujuſmodi.

℞. *Succi uvæ acerbæ, ſucci acetoſæ, ſucci lactucæ, & violarum; ſucci granatorum, aceti albi ana* ℥ j.

*coquantur lento igni, & addatur zuchari. candidi & albi ana quantum ſufficiat*; & fiant pilulæ, quæ teneantur ſub lin-

gua ad refrigerandum, & ſitim removendam. Alia etiam remedia ex capite de ſimplici tertiana petere licebit. utile tiam erit hujuſmodi reſtaurativum.

℞. *Santalorum alborum, & rubeorum, & quatuor ſeminum frigidorum majorum & minorum ana* ℥ ij.
*ſucci liquiritiæ* ℥ ij. ß.
*gummi draganti, gummi Arabici, & aginidi ana* ℥ j.
*camphoræ* G. xij.
*conſervæ nenufaris* ℥ j. ß.
*zuchari albi quantum ſufficiat.* miſce, fiat conditum auro coopertum. Ad curandas etiam anxietates, epithemata, confectiones cordiales, aliaque remedia ex noſtra tertianæ ſimplicis curatione tibi petenda ſunt: aut hujuſmodi cerotum regioni cordis imponito.

℞. *Pulveris electuarij diamargaritonis frigidi, confectionis alchermes ana* ℥ j.
*ſantalorum rubeorum, ſeminis citri mundati, corallorum rubeorum, florum violarum, buglоſſæ, & nenufaris ana* ℥ ij.
*croci* ℈ ß.
*nonnihil terebinthinæ & ceræ: malaxenter cum aqua roſarum, & vino albo:* fiat cerotum extenſum ſuper pannum granæ, & regioni cordis imponatur. Materiam jam concoctam, ſi evacuari oportere judi-

judicaveris, evacuato. Quoniam verò ſanguis ex eo putrefit, quod ex bilis materia eſt, ob eam rem cum ſanguinis mundificativis, bilis evacuativa miſcenda ſunt. ut:

℞. *Rhabarbari electi infuſi in aqua lactis caprarum* ʒ j.
*pilorum ſpicæ* G. iiij.
*diaprunis ſimplicis, & diacatholiconis ana* ʒ v.
*confectionis hamech* ʒ ij.

*diſſolvatur in aqua lupulorum, & bugloßæ, quantum ſufficiat*; & fiat potus, addendo ſyrupi violarum ℥ j. commodè etiam purgabis caſia, & electuario de ſucco roſarum in potabili forma, vel in forma boli, hoc medicamento.

℞. *Confectionis hamech* ℥ ß.
*electuarij de ſucco roſarum* ʒ ij.

*incorporentur cum caſia fiſtula extracta per ſetaceum*; & fiant boli confecti cum zucharo, & deſuper deaurentur.

Cùm ſanguis ob ſuam aduſtionem putrefactus eſt, & ſubtilior fit, & concoctio eſt æquatæ ſubſtantiæ, licebit & hoc ſyrupo magiſtrali concoquere. ut;

℞. *Iujubarum num.* C.
*quæ coquantur in* 5. *lib. aquæ, uſque ad conſumptionem tertiæ partis: quibus adde zuchari* ℥ viij.

& fiat ſyrupus. vel ſic:

℞. *Carnis pyri* ℥ j.
*jujubarum num.* xx.
*granatorum muſci* ℥ j.
fiat decoctio in lib. ij. aquæ, uſque ad conſumptionem tertiæ partis, & cum zucharo fiat ſyrupus.

Prærerea ſi ſanguis poſt venæ jam inciſionem remanens, craſſus eſſe judicetur; id quod urina craſſa, & ſomnolentia, deinde nimius corporis pruritus, & laſſitudo arguit, concoctivis & attenuantibus uti oportuerit. ut;

℞. *Syrupi acetoſi ſcilicet, oxymellis. ſ. ana* ℥ iij.
*aquarum capillorum veneris, & intybi ana* ℥ iiij.
vel magiſtrale hoc:
℞. *Aquæ cichorei, capillorum veneris, & intybi ana* ℥ iij.
*aceti* ℥ j.
*zuchari* ℥ iiij.
fiat ſyrupus aromatizatus *cum pauco cinnamomo.*

Sanguinem verò ab humore phlegmatico corruptum; medicamentis utrique parti idoneis juvabis. Idem efficies commodis etiam remediis, cum ſanguis à bili & melancholia vitiatus fuerit.

Purgata autem materia, reſiduum caliditatis. epithematis hepati, renibus, & cordi accommoditatis, curatur; & electua-

electuariis ac confectionibus, ac juleb interius exhibitis: de quibus in capite de cura tertianæ ſimplicis, & cauſonis egimus. Atque ita ſanguineæ febris curatio expeditur.

# DE CURATIONE
## Febris phlegmaticæ.
### CAP. VI.

CAlor & color ad albedinem tendens, rigor, ac frigus lentum, ſine horripilatione, cum oris inſipiditate, aut acredine exigua, vel nulla ſitis, urina alba, neque craſſa nimis, pulſus debilis parvus, rarus, & mollis cum diverſitate, verum non multa, ob materiæ lenitatem, febrem quotidianam à pituita dulci, inſipida, vel acri provenientem indicant. Adjuvant præterea opportunitates temporis, ut hyems: acceſſionis horæ, ut nox: ætatis, ut ſenectus: complexio, ut pituitoſa; aut febricitandi conſuetudo, quia is plerumque phlegmatica febri laborare ſoleat. Curatio autem ſic inſtituitur. Clyſter in primis, ſi res id poſtulet, applicatur; & potio aliqua, ſi ægrotus libenter accipiat.

Quoniã rigor vehemens nimiũ ægrotum lædit, initio ipſo calefacti panni linei extremitatibus ipſis frigidis adhibeantur:

vel ſi id non ſatis eſt, laterem calidũ panno involutum pedibus adhibere oportuerit, Quòd ſi parum etiam hoc profuerit, laterem calidum roremarino ſtratum, & vino inſperſum, rubro panno laneo obvolutum admoveto. Principio autem acceſſionis oblata nauſea ultrò, ſed non perfecta, propinato vomitivo communi adjuvatur, quo materiæ communes evacuentur, non autem conjunctæ, ne corpus inflammetur. ut;

℞. *Aquæ* ℥ iiij.
*mellis & zuchari ana* ℥ j.

miſce tepidum, & applicetur. vel;

℞. *Oxymellis ſcilicet* ℥ iij.
*aquæ decoctionis raphani* ℥ iiij.

miſce. namque hic vomitus, & acceſſionem, & morbum levat. Calore jam incipiente, fricationes in tempore fiant, ut materia citius attenuetur, calefactaque expellatur citius. Paroxiſmo autem tranſacto, commodè enæma adhibetur. ut;

℞. *Florum camomillæ, malvæ, bliti ana m* j.
*furfuris pug.* j.
fiat decoctio: *ex qua accipe lib.* j.
*hieræ picræ Galen.* ℥ ß.
*caſiæ fiſtulæ mundæ* ℥ j.
*ſalis communis* ʒ j.
*olei communis* ℥ iij.

fiat enæma. vel potionem ſic parato.

℞. *Caſiæ fiſtulæ mundæ, & rhodomellis ana* ℥ j.

*cinna-*

*cinnamomi G.* iiij.
*aquæ bugloſſi* ℥ iij.
fiat potio.

His expeditis, ſi urina craſſior & rubicunda appareat, ſanguinem minuito ex communi vena, ſi nimia eſt, plethoria: ſin minus, ex baſilica, uſque ad ℥ vj. Minutione autem facta, ſi multitudo pituitæ appareat (quod rarò accidit) hujuſmodi minorativum conſtituito.

℞. *Caſiæ fiſtulæ mundæ, & rhodomellis ana* ℥ j.
*agarici* ʒ j.
*ſalis gemmæ* ℈ ß.
*cum aqua fœniculi & intybi* fiat potus. vel;
℞. *Turbith electi* ℈ iiij.
*zinziberis* ℈ ß.
*bulliant parum, & colentur cum expreſſione: qua colatura diſſolvatur caſiæ fiſtulæ, & rhodomellis.* Hujuſmodi minorativorum uſus in principio commode adhibetur, niſi multa pituitæ copia appareat: deinde verò ſyrupi propinantur utiliter ad opportunam concoctionem; quales illi ſunt.

℞. *Rhodomellis, & ſyrupi acetoſi ana* ℥ j.
*quibus adde aquarum fœniculi, & intybi* ℥ j. ß.
& miſta exhibeto. vel;
℞. *Oximellis ſimplicis* ℥ j.
*ſyrupi intybi* ℥ ß.

*aquarum abſinthij, & fœniculi ana* ℥ j. ß. vel;

℞. *Aquarum fœniculi, intybi, & abſinthij, ana* ℥ j.
*ſyrupi acetoſi, & abſinthini ſyrupi ana* ℥ j.

adde *cinnamomi* aliquantulum, & exhibeatur ſingulis diebus manè ad concoctionem. Placet autem Avicennæ hujuſmodi ægrotis ſic temperatas potiones ex forti & tenui exhibere. id quod ille ſingulis noctibus fieri præcipit; quarum potionum illa exempla ſunt.

℞. *Turbith electi* ʒ j.
*zinziberis* G. iiij.
*aquæ fœniculi* ℥ j. ß.

fiat potio: exhibeaturque noctu quoad materia concocta eſſe judicetur; cum jam virtus per quotidianam, expulſionem minorativam potentior efficiatur. Veruntamen hæc ratio paucis probatur, vel ex ejuſdem auctoris conſilio, qui corpus laxativis medicamentis aſſuefieri non vult. deinde quod multi ægroti, ob delicatam corporis conſtitutionem & conſuetudinem, ſingulis noctibus hujuſmodi laxativas potiones ſumere recuſant. Conſultius ergo fuerit harum vice enæma quotidianum parare. ut;

℞. *Seminis aniſi, florum camomillæ, florum violarum ana m.* j.
*bliti man.* ß.

fiat

fiat decoctio : *in cujus lib.* 1.
*ſolvito olei communis, & rhodomellis ana* ʒ j. ß.
*hieræ picræ Gal. electuarij diacartami ana* ʒ iij.
parabisque enæma. Commodè etiam magiſtrale potiſma concoctionis cauſa paratur, hoc modo.

℞. *Eupatorij, abſinthij ana m.* ij.
*radicum fœniculi, apij, glycyrhizæ ana m.* j.
*paſſularum ſine nucleis pug.* ij. Apozema.
*roſarum rubearum, ſeminis ameos ana pug.* ij.
*ſeminis intybi, & fœniculi ana* ℥ j.
coquito ſecundum artem in lib. xij. aquæ, quoad tertia pars abſumpta ſit. Deinde fortiter expreſſa colato :
*cui colaturæ addes mellis deſpumati lib.* 1.
*& zuchari rubei lib.* ß.
Ex hac potione ſingulis diebus bis, manè & veſperi ℥ xij. tepidum exhibeto. Ubi autem concoctionis ſigna apparuerint, eradicativum medicamentum parabis. ut;

℞. *Electuarij diacartami* ℥ ß.
*caſſiæ fiſtulæ mundæ, & rhodomellis ana* ℥ j.
*diſſolvantur in aqua fœniculi, & intybi quantum ſatis ſit*, & fiat potio. vel;

℞. *Agarici* ʒ ß.

*electuarij diacartami* ℨ iij.
*caſiæ fiſtulæ mundæ* ℨ j.
*diſſolvantur in decoctione communi quantum ſatis ſit*, & exhibeto. vel;
℞. *Pulveris hieræ picræ Galeni* ℨ j.
*caſiæ fiſtulæ mundæ*, & *mellis roſati ana* ℨ j.
*cum aqua bugloſſi* fiat potio. vel;
℞. *Electuarij diacartami in tabulis* ℥ ß. vel ℨ vj.
*maßæ pilularum de agarico* ℨ j.
*cum aqua fœniculi*: conficiantur pilulæ quinquæ. vel;
℞. *Maſſæ pilularum ſtomaticalium* ℨ j.
formentur pilulæ quinque. vel;
℞. *Polypodij quercini contuſi* ℥ j.
*florum bugloſſæ, borraginis* & *aniſi ana* ℥ ß.
*paſſularum detractis nucleis* ℥ j.
coquantur, & excolentur: & *in colatura diſsolve myrobalanorum ebulorum* ℨ iij.
*turbith* ℨ j.
*zinziberis* G. viij.
*caſiæ fiſtulæ mundæ* ℥ j.
& fiat potus.

Quod ſi poſt hujus medicamenti uſum, neque materia; neque febris omnino receſſerit, perſpiciat medicus an oppilatio aliqua ægroto etiam ſit: quam hujuſmodi remedio curabit.

℞.

℞. *Olei nardini* ℥ j.
*olei abſinthij, & maſtichis ana* ℥ ß.
*pulveris maſtichis* ʒ j.
*garyophyllorum, ligni aloes, gallæ muſcatæ ana* ℈ j.
*coralli rubei corticum citri ana* ℥ ß.
*ceræ quantum ſatis ſit*: fiat unguentum, quo ventriculi regio ungatur, qua hora febris remittit.

Materia autem imminuta, ſi is qui quotidianam febrem patitur, ſiti etiam laboraverit, vel quòd ex putrida in ventriculo pituita fumi guttur & linguam infeſtant, atque exſiccant, hujuſmodi condito juvabitur.

℞. *Conſervæ bugloſſæ, roſarum, & ameos ana* ℥ ß.
*corticum citri conditi cum zucharo* ℥ iij.
*pulveris diarhodonis Abbatis* ʒ j.
*electuarij de gemmis* ʒ ß.
*pulveris aromatici roſati* ʒ j.
*cum zucharo* fiat conditum auro obductum; vel bibat ægrotus cum corticibus citri zucharo conditi aquam coctam cum fœniculo & petroſelino. Eſt autem hujuſmodi materia lentior ſanè, & quæ difficile evellatur, cui applicato minorativo, interim dum exhauritur, remedio etiam ſunt electuaria in tabellis cum aquis certis, vel ſyrupus aliquis apozematis modo exhibitus, quæ concoquen-

di & confortandi vim habent. ut;

℞. *Electuarij aromatici roſati deſcriptione Gabrielis* ℥ j. ß.

*aquæ abſinthij* ℥ viij.

*vel aquæ abſinthij & fœniculi ana* ℥ iiij.

*ſyrupi abſinthij, & intybi ana* ℥ iiij.

*azari & hioſcyami ana* ʒ j.

poſitum in ligatura, fiatque ſyrupus apozematus, ex quo per duos, aut tres dies ægrotus ſumat. vel ſi libet, de trochiſcis ex abſinthio, & eupatorio. Licebit etiam conſequentur uti medicamento ex forti & debili mixto per intervalla. ut;

Forte debile.

℞. *Caſiæ fiſtulæ per ſetaceum cribrum extractæ* ℥ j.

*diacartami* ʒ iiij.

*agarici* ʒ j.

*ſalis gemmæ* G. v.

*myrobalanorum ebulorum* ʒ iij.

*rhodomellis* ℥ j.

miſceto, & fiat confectio opiatæ ſimilis: vel, decernes illi ex pilulis jam deſcriptis quantum conveniat cùm materiam abſcindere volueris: atque hoc modo ſanitas ægroto, Deo volente, parabitur. Quòd ſi quotidiana febris à pituita craſſa, mucilaginoſa, vitrea, vel cruda efficiatur, victus ratio ſive diæta, ad calefactionem & attenuationem inclinabit: eo quòd pituita hæc frigidior, craſſiorque

que ſit. Igitur ubi accedens medicus ægrotum vehementer rigore correptum inveniet (vehemens namque frigus ex cauſæ vehementia & fortitudine procedit) apponet calidas veſtes, & laterem calidum panno laneo cum roremarino, & vino irrorato; extremis corporis partibus admovebit, in quibus frigus maximè apparet: deinde ordine ſuperius præſcripto enæma decernet quale jam diximus, vel lenitivum medicamentum, ut docui. vel;

℞. *Hyſſopi man. j.*
*Callitrici man.* ſs.
*liquiritiæ, paſſularum ana* ℥ ſs.
fiat decoctio: *de qua* ℥ iiij.
*commodæ ſunt, ut diſſolvatur caſiæ fiſtulæ mundæ, oxymellis.* ſ ℥ j. ſs.

quam potionem exhibeto. Ubi autem ſic lenita materia fuerit, ſi videatur opportuna eſſe ſanguinis miſſio, quod urina craſſa, turbida, atque rubea appareat, ſecabis venam: deinde concoctionem molieris hoc modo.

℞. *Oxymellis.* ſ. *& rhodomellis ana* ℥ j.
*aquarum fæniculi & abſinthij ana* ℥ j. ſs.

miſce, & apparentibus ſignis concoctionis, exhibeto medicamentum aliquod ex iis quæ à nobis deſcripta jam ſunt, quod magis placeat. His verò expeditis, ſi

ſi ulteriorem concoctionem deſiderabis, ejuſmodi ſyrupo efficies:

℞. *Radicis aſparagi, fœniculi, bruſci ana* ℥ ij.
*hyſſopi, bugloſſæ, meliſſæ ana man.* j.
*ſeminis aniſi, & fœniculi ana* ℥ j.
*ameos* ℥ ß,
*paſſularum* ℨ vj.
fiat decoctio: *in qua adde mellis deſpumati lib.* 1. *& aceti optimi* ℥ ij,

fiatque ſyrupus: de quo ſumat ſingulis diebus manè ℥ ij. tantundemque veſperi. deinde perſequere curationem eo modo, quo in quotidiana febri ex pituita dulci, adhibitis ſtomacho unguentis vel ſacculis. ut;

℞. *Floris majoranæ, camomillæ, meliloti ana* ℥ iiij,
*roſarum rubearum* ℥ ij.
*caſiæ ligneæ* ℨ i.
*zinziberis, cinnamomi ana* ℈ j.
*thuris, maſtichis ana* ℨ ij.

Ex his conquaſſatis impleto ſacculum pro ſtomacho. Utere etiam trochiſcis confortantibus ſtomachum, atque ſyrupis concoctivis, & medicamento fortidebili, ut anteà præcepimus.

At verò ſi quotidiana febris ex pituita, melancholico humore permixta oriatur, quod ex ſignis atræ bilis in capite de quartana à nobis indicandis facilè deprehendetur; perſpiciendum imprimis fuerit,

rit, an atræ bilis permixtæ nimia copia ſit: nam hoc modo medicamentis atræ bili curandæ idoneis proportionaliter uti oportuerit. Igitur ægroto hujuſmodi affecto, enæma imprimis eſt ſubjiciendum. ut;

℞. *Florum camomillæ, aniſi, marathri ana m.* ß.
*centaureæ m* j.
fiat decoctio: *in qua diſsolvatur caſiæ fiſtulæ mundæ* ℥ j.
*olei communis* ℥ iij.
*confectionis hieræ picræ Galeni* ʒ iij.

fiat enæma. Deinde concoctionem opportunis ſyrupis moliri conveniet. ut;

℞. *Syrupi bugloſſæ* ℥ j.
*oximellis* ℥ j. ß.
miſce, *& exhibeto cum aqua fœniculi & bugloſſæ ana* ℥ j. ß.

his abſolutis, minorativum medicamentum proſpicies. ut;

℞. *Confectionis diaſenæ* ʒ vij.
*electuarij diacartami* ʒ iij.

diſſolvantur in decoctione communi quantum ſatis ſit, & fiat potio, quam exhibeto. Quod ſi hoc remedio virtus potentior ſupra reſiduum materiæ non reddatur, ſed concoquentibus etiam medicamentis indigere adhuc viſa ſit, hoc modo curationem proſequere.

hoc

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0307-0

hoc modo curationem proſequere.

℞. *Oxymellis diuretici, & rhodomellis ana* ℥ j.

*ſyrupi bugloſſi* ℥ ß.

*aquarum abſinthij, & fœniculi ana* ℥ j ß.

vel illum etiam magiſtralem. ut;

℞. *Scolopendræ man.* j.

*florum bugloſſæ, & borraginis, cuſcutæ, abſinthij ana m.* j.

*radicis aſparagi, bruſci, & petroſelini ana* ℥ j. ß.

*liquiritiæ, & paſſularum ana* ℥ j.

*ſeminis aniſi & fœniculi ana* ʒ iij.

*polypodij, epithymi ana* ℥ ß.

*coquantur omnia in lib.* iij.

*aquæ, uſque ad conſumptionem medietatis, additis deinde mellis lib.* j.

*zuchari* ℥ iij.

*aceti* ℥ j. ß.

fiat ſyrupus aromatizatus *cum cinnamomo, & nuce muſcata, de quo cum aqua abſinthij vel fœniculi, & bugloſſæ, vel petroſelini, vel radicum diureticarum*, poteris ægroto exhibere ad perfectam concoctionem. Uteris verò interea commodis enæmatibus ad alvi exonerationem. Quòd ſi ægrotus propter febris æſtum ſitiat, remedio erit conditum ſive reſtaurativum accipere hujuſmodi.

℞. *Pulveris lætitiæ Galeni* ʒ j.

*pulveris diarhodonis Abbatis* ʒ ij.

con-

*conſervæ bugloſſæ* ℥ j.
*conſervæ violarum* ʒ iij.
*zuchari* ℥ iiij.

miſceto, & fiat conditum auro obductum: de quo cùm bibere volet, bina aut terna cochlearia ſumat, bibatque aquam decoctam cum fœniculo, & cinnamomi parte modica.

Si verò angoribus & afflictionibus afficiatur, ei ſymptomati, hujuſmodi confectione medeberis.

℞. *Confectionis de gemmis, lætitiæ Galeni, & confectionis de muſto dulci ana* ʒ iij.

miſce, & cũ ſyrupo jujubæ fiat confectio.

Vel pro pauperibus.

℞. *Conſervæ bugloſſæ contuſæ* ℥ j.
*limonatæ ſimplicis* ʒ iij.
*aromatici roſati* ʒ ij.

miſce, & cum ſyrupo bugloſſæ fiat confectio: cujus accipiet æger cochleare unum cum aqua bugloſſæ. Et ſi vomitus à natura incompletus fiat, eodem, ut ſuperius dictum eſt, modo procedendum. materiæ deinde per ſyrupos, ut decet, præparatæ eradicatio tentanda eſt hujuſmodi medicamento.

℞. *Pulpæ caſiæ fiſtulæ* ℥ j.
*diacartami* ʒ iij. ß.
*myrobalanornm Indorum* ʒ ij. ß.

diſſolvantur in aqua bugloſſæ, & fiat Potus. vel;

℞. *Tur-*

℞. *Turpeti* ℈ j.
*agarici* ʒ j.
*zinziberis* ℈. ß.
*ſalis gemmæ ſpicæ ana* G. vj.
bulliant *parumper in* ℥ iiij.
*decocti glycyrhizæ paſſularum capil. veneris, thymi, epithymi, cuſcutæ, polypodii*: fiat deinde colatura cum forti expreſſione; *cui adde caſiæ fiſtulæ* ℥ j.
*rhodomellis* ℥ j. ß.
& fiat potus. vel;

℞. *Specierum hieræ picræ Gal.* j ʒ. ß.
*caſiæ fiſtulæ rhodomellis ana* ℥ j.
miſce, *&* *cum aqua abſinthii* fiat potio.

Pilulis idem efficies hoc pacto.

℞. *Pilularum de agarico* ℈ ij.
*pilularum Indarum* ℈ j.
*cum aqua ſtillatitia bugloſſæ* fiant pilulæ ſeptem. Si verò febris his adhibitis præſidiis non ceſſat, tunc ſubſequens confectio magiſtralis, julebum, & electuarium, quibus ſummo manè per intervalla utatur, utiliter præſcribi poterunt.

℞. *Diaſenæ. ſ.* ℥ j. ß.
*agarici* ʒ ij.
*diacartami* ℥ j.
*trochiſcorum de abſinthio* ʒ ij.
*caſiæ fiſtulæ cum ſaccharo præparatæ* ʒ ß.
miſce, & fiat confectio.

℞. *Aromatici roſati, ſpecierum lætificantis Galeni, trochiſcorum de abſinthio ana* ℈ ij.

*ſac-*

*ſacchari infuſi in aqua abſinthii quantum ſatis eſt*, & fiat electuarium in tabellis.

℞. *Aquæ abſinthii*, *Aquæ radicis petroſelini ana* ℥ iij.
*aquæ ſcolopendrii* ℥ vj.
*aquæ fumariæ* ℥ ij.
*ſacchari* ℥ iiij.
*aceti* ℥ j. ß.

miſce, & fiat julebum: aromatiza nuce moſchata & cinnamomo. Hoc Julebo cum tabulis triduo uti poterit, quarta die confectione jam deſcripta utatur.

Si verò æger lienis obſtructione laboret ab humore aduſto & melancholico, hujuſmodi illi poteris unguentum admovere.

℞. *Olei è capparibus*, *irini ana* ℥ j.
*trochiſcorum è capparibus* ℨ ij.
*aceti ſcillitici* ℨ iij.

*ceræ quantum ſatis eſt*, ac fiat unguentum reliqua quæ ad hanc curationem attinent, quære in capite de quartana: & hæc ſatis ſint de curatione febris, quæ à pituita fit humori melancholico admiſta.

Si verò quotidiana febris à ſalſa pituita oriatur, cui bilis admiſta ſit, quod ex ſalſedine in ore cognoſcitur, tunc, prout in tertiana notha dictum eſt, curationem aggredere cum clyſteribus, & ſuperius deſcripta potione. aut;

℞. Ca-

℞. *Capillorum ven. m. j.*
*lupulorum, florum borraginis, bugloſſæ, cucurbitæ, ana quartam partem m j.*
*paſſularum glycyrhizæ ana* ℨ iij.
fiat decoctio *in aqua ad* ℥ iij.
*in quibus diſſolvatur caſiæ fiſtulæ, & rhodomellis ana* ℥ j.
& fiat potio. quod ſi urina craſſa rubeaque appareat, quod ſanguinis redundantiam indicat: ſi æger plethoricus ſit, communis vena ſecanda eſt: ſi non adeò humorum plenitudine abundet, baſilica ſecabitur, atque ſyrupi concoquentes præparantesque præſcribentur, videlicet:
℞. *Syrupi acetoſi compoſiti de duabus radicibus, de endivia ana* ℥ j.
*aquarum ſtillatitiarum endiviæ fœniculi ana* ℥ j. ß.
miſce: quibus ut decet exhibitis, materiam hoc medicamento minues.
℞. *Diacartami* ℨ iij.
*rhabarbari* ℨ j.
*ſpicæ G.* iiij.
*caſiæ fiſtulæ* ℥ j.
miſce, *& cum aqua endiviæ* fiat potio. vel;
℞. *Lupulorum cuſcutæ ana m.* j.
*florum borraginis, bugloſſæ, capillorum veneris ana m.* ß.
*paſſularum glycyrhizæ ana* ℨ iij.
decoquantur in aqua. vel;
℞. *Colaturæ ana* ℥ iiij.

*in*

*in quibus diſſolvantur caſiæ fiſtulæ* ʒ vj.
*electuarij de ſucco roſarum* ʒ iiij.
& fiat potus. vel;
℞. *Agarici* ʒ ij.
*ſalis gemmæ ſpicæ ana* G. vj.
*infundantur in oxymelite ſcillitico.* deinde fiat expreſſio fortis: *cui adde caſiæ fiſtulæ* ʒ j.
*turpeti* ʒ ij.
*zinziberis* G. vij.
& cum prædicto decocto fiat potio. quod ſi æger fuerit delicatior, illi pilularum alephanginarum ʒ j. tuto exhibebitur. His niſi febris eradicetur, tunc ad ea quæ valentius concoquunt, accedendum.
℞. *Syrupi byzantini acetoſi ſ. ana* ℥ j.
*aquarum ſtillatitiarum abſinthij, fœniculi, endiviæ ana* ℥ j.
miſce. vel fiat ſyrupus magiſtralis hoc pacto.
℞. *Scariolæ, endiviæ, bugloſſæ, quinque radicum ana m.* j.
*radic. fœniculi apij ana* ℥ ij.
*florum bugloſſæ, borraginis violarum ana* ℥ j.
*quatuor ſem. communiũ frigidorum* ʒ ß.
*glycyrhizæ paſſularum ana* ʒ ß.
*aniſi majoranæ ana* ʒ ij.
fiat decoctio ſecundum artem in ℔ iiij. aquæ ad tertias. deinde fiat colatura

cum

cum forti expreſſione,

*& addendo ſacchari libram ℔.*

*& tantundem mellis deſpumati*: fiat ſyrupus, quo utetur manè & veſperi cum jam dictis aquis. Vtilius parabitur ſubſequens apozema.

℞. *Radicum fœniculi, aſparagi, apii, cichorii, endiviæ, eryngii, optimè contuſarum ana m.* j. ß.

*paſſularum mundatarum optimè contuſarum p.* iij.

*glycyrhizæ raſæ m.* j.

*hordei mundati & contuſi p.* ij.

*aniſi majoranæ, dauci cretici ana m.* j.

*flo. bugloſſæ, borraginis violarum ana* ℥ ß.

*decoquantur in* xij. *libris aquæ ad tertias*, fiat deinde fortis expreſſio & colatura.

Cui *adde ſacchari rubei & mellis communis deſpumati ana* ℔ ß.

& fiat apozema: de quo ſingulis diebus ſummo manè libram unam, & tantundem ſub veſperum accipiet. ſi interim ſiti torqueretur, utatur ſubſcripto condito.

℞. *Specierum diamargariton, ſpecierum diarhodon, ana* ℨ j.

*conſervæ bugloſſæ, violarum borraginis ana* ℥ ß.

*cum ſaccharo* fiat conditum, auri bra-

ctеis

ſteis tegatur. Si anguſtiis laboret, ſubſcripto electuario roborante utatur.

℞. *Theriacæ citri, conſervæ bugloſſæ contuſæ ana* ℥ ß.

*ſpecierum diamargariton frigidi* ℥ j.

miſce, & cum ſyrupo bugloſſæ fiat confectio, qua æger dum anguſtiis premitur, cum aqua bugloſſæ & endiviæ uti poterit. Si verò huic febri ſtomachi obſtructio conjungatur, unguento ſuperius deſcripto illi occurres, nec obliviſcaris clyſteres frequentes injicere, ut materiam continuò lenias. Humoribus per ſyrupos ſatis præparatis, aliquo ex jam deſcriptis medicamentis purgare tentabis: poſt purgationem hepar & ſtomachum his quæ in capite de tertiana notha deſcripta ſunt, electuariis roborabis, & jam dictis confectionibus uti, prout in declinatione aliarum febrium dictum eſt. & hæc ſunt quæ ad febris, quæ ex phlegmate ſalſo fit, curationem attinent.

Si verò febris à pituita fiat, in qua partes exteriores calidæ ſint, internæ verò frigidæ, epialos appellatur. fit autem propter diverſitatem partium phlegmatis; tenuiores ſiquidem partes putrefactæ calorem accendunt: craſſæ verò, adhuc putredinem non expertæ, in internis partibus corporis manentes eaſdem refrigerant. hujuſmodi febris hac ratio-

ratione curanda eſt. Primum illud animadvertendum eſt; quòd hæc febris ſit ab humore craſſo in internis corporis partibus detento; & quod ſtomachi habenda ratio eſt, qui à phlegmate, & craſſo potiſſimum, multum læditur. ſtatim itaque injiciendus eſt clyſter ad communes materias educendas, vel potio hujuſmodi exhibenda.

℞. *Rhodomellis caſiæ fiſtulæ ana* ℥ j.
*cum aqua fœniculi*, fiat potio. qua exhibita, præſcribendi ſunt ſyrupi pituitam incidentes.

℞. *Oxymelitis. ſ.*
*rhodomellis ana* ℥ j.
*aquarum fœniculi, bugloſſæ ana* ℥ j. ß.
miſce. Ut verò ſtomachum, qui in pituitoſis febribus maximè laborat, robores, tali uti poteris.

℞. *Rob vivæ immaturæ* ℥ iij.
*oxymelitis. ſ.* ℥ iiij.
*aquarum fœniculi, abſinthii ana* ℥ iij.
*deſæcetur & aromatizetur modico cinnamomi.* Hujus exhibendæ ſunt ℥ ij. vel cochlearia ſeptem cum duabus tabellis aromatici roſati ex deſcriptione Gabrielis. Interim enæmatibus aliquanto acrioribus utendum, videlicet:

℞. *Centaurii majoris, chamæmeli, meliloti ana m.* j.
*medullæ cartami* ʒ vj.

*ſemi-*

*ſeminis anethi* ʒ vij.
fiat decoctio in aqua, *in qua diſſolve*
*hieræ picræ Gal.* ℥ j.
*olei anethini* ℥ iij.
& fiat enæma. vel;
℞. *Summitatum fol. cauliũ rubeorũ centaurij minoris, cucurbitæ, pulegij ana m* j.
*ſeminis aniſi, fœniculi ana m.* ß.
*agarici* ʒ ij.
*medullæ cartami* ʒ vj.
miſceantur, & fiat decoctio ad ℔ j.
*in qua diſſolve hieræ Galeni* ℥ j.
*olei anethini* ℥ iiij.
*ſalis gemmæ* ʒ j.
& fiat enæma. Aliud etiam enæma hoc pacto præſcribere poteris.
℞. *Gallum unum antiquum virgis diu flagellatum, & occiſum, quem ſubſcriptis rebus infarcis.*
℞. *Polypodij, turpeti ana* ʒ iij.
*ſtœchadis, ſeminis anethi, meliloti, chamæmeli ana* ʒ iij.
*cinnamomi* ʒ j.
*hordei mundi* ʒ iij.
his optimè permiſtis, infarciatur gallus: atque ita infarctus decoquatur in aqua, quouſque caro ab oſſibus ſeparetur.
℞. *Ius ita paratum, vitellos ovorum tres, caſiæ fiſtulæ* ℥ j.
miſce, & fiat enæma. Poteris interim quo-

piam auxilio vomitum illi provocare ex Avicennæ ſententia.

℞. *Phaſiolorum* ℥ j.
*ſeminis anethi, ſeminis raphani, calaminthæ ana* ℥ ß.
*commiſceantur in* ℔ j.
*aquæ ad* 3 *as. colaturæ addantur oxymelitis.* ſ. ℥ ij.

& tepida exhibeatur. & ſi intra horam unam non evomuerit, penna oleo intincta gutturi indita vomitum provocabis: cum verò purgatione noxiam materiam purgare tibi viſum fuerit, conſule caput de febre quotidiana ex phlegmate vitreo & gypſeo. vel facias hoc pacto.

℞. *Polypodij quercini, foliculorum ſenæ, ſeminis aniſi, fœniculi ana* ℥ iiij.
bulliant in aqua, & fiat colatura: *in qua diſſolve caſiæ fiſtulæ rhodomellis ana* ℥ j.
*diacartami* ℥ iij. ß.

& fiat potio: & ſtomachi præcipuè curam habeas illum roborando unguentis, emplaſtris, ſacculis, de quibus abundè ſuperius diximus. Si verò his adhibitis præſidiis febris non ceſſat, prout in ſuperioribus adnotavimus, ad confectiones, ſyrupos, apozemata, pilulas, & electuaria deveniendum; atque iis, quouſque febris omnino recedat, utendum: eadem quæ in hac febri, ſunt etiam in

in lipyria febre obſervanda; & materia peccante perſpecta, ſyrupi illam præparantes ſunt præſcribendi, & jam dicta enæmata injicienda, & purgationes exhibendæ. Similiter ſi febris ſit ſeptimana, aut ſextana, conſideranda materia eſt, à qua fiunt; & pro varietate peccantis materiæ ejuſdemque craſſitie & tenuitate ſyrupi variandi ſunt, & variandæ confectiones, & potiones. Si verò fuerit quotidiana continua, phlegmatis, à quo fit, ratio habenda eſt, craſſum ne ſit an tenue, & pro illius diverſitate varianda ſunt præſidia. & hæc ſunt quæ ad curationem pertinent febris, quæ à ſalſo, dulci, vitreò, & cujuſcunque ſpeciei phlegmate ortum habet.

## DE CURATIONE
### Febris quartanæ ab humore melancholico.

### CAP. VIII.

SI medicus ad ægrum accedens videat illum melancholicæ temperaturæ, coloris plumbei vel cinerei vel fuſci, atque ejuſdem membra gracilia fuerint & macilenta, qui in cibis, leporibus, & carne bubula, & antiquo caſeo uſus fuerit, & multis leguminibus, & alimentis ſanguinem adurentibus, copioſis aro-

matibus, pipere, eruca, ſinapi, & ſimilibus, & qui ira & diuturna triſtitia laboraverit, à quibus corpus admodum exſiccari conſuevit, aut in quo præceſſerint febres compoſitæ, aut erraticæ, aut diuturna tertiana, in quibus humorum tenuiores partes abſumuntur, craſſiores verò relinquuntur, & febris à principio cum frigore invadat; illa verò progrediente cum rigore frigori conjuncto ex tenuioribus humoris melancholici partibus putrefactis, ſi paroxiſmus horas 24. perduret, & duos intermittat dies, & quarto revertatur, ægrum quartana febri laborare judicabit: in qua, quemadmodum & in aliis febribus, procedendum eſt, concoquenda eſt materia peccans, & purganda, cùm ſit ex genere putridarum. itaque à communium ſuperfluitatum evacuatione exordiendum; & ſi alvus adſtricta ſit, tale injiciendum enæma.

℞. *Seminum aniſi, fœniculi ana pug.* j.
*foliorum malvarum man.* j.
*cartami* ℥ ß.
bulliant in aqua ad ℔ j.
*in qua diſſolve mellis communis, & olei ana* ℥ iij.

& fiat enæma. Poterunt communes materiæ tali potione educi.

℞. *Caſiæ fiſtulæ, rhodomellis ana* ℥ j.

*diſ-*

*diſſolvantur in decocto communi*, & fiat potio. conſequenter exhibendi ſunt ſyrupi concoquentes.

℞. *Oxymelitis. ſ.*
*ſyrupi è bugloſſa ana* ℥ j.
*aquarum bugloſſæ, endiviæ ana* ℥ j. ß.

quibus ad dies aliquot exhibitis, tali medicamento peccantes humores minues.

℞. *Diaſenæ, caſiæ fiſtulæ præparatæ cum ſaccharo ana* ℥. ß.
*myrobalanorum* Indorum ʒ ij.

miſce, & cum decocto communi fiat potio. Hac exhibita, ſi materia peccans adhuc contumax ſit, & natura illam ſuperare, & expellere non poteſt, ad concoquentia & purgantia validiora deveniendum, & ſymptomatibus, quæ hujuſmodi febrem comitari conſueverunt, occurrendum: inter hæc potiſſimum frigus eſt, à quo æger in paroxiſmi principio maximè affligitur. in illius itaque principio ea ſunt exterius applicanda, quæ ſuperius capite de febri phlegmatica ſimplici dicta ſunt, lateres. ſ. roremarino cooperti, & vino rubeo aromatico aſperſi manibus & pedibus applicandi, quouſque frigus recedat. vel hoc pacto: ℞. *Roſmarini, thymi, rutæ, chamædryos, chamæpityos, gariophyllorum, nepetæ, marrubij, menthæ, chamæmeli, foliorum lauri portiones ali-*

*quas.* fiat decoctio in vino albo, & aqua communi, in qua fortiter bulliant immiſſi lateres, & calidi linteis revoluti extremitatibus applicentur. Aut in prædicto decocto madefiat ſpongia, & expreſſa dorſo admoveatur. hac enim ratione frigus quàm citiſſimè removebitur. Quod ſi hæc non ſatis ſint, tunc uxorem, ſi juvenis illa ſit, aut juvenculam aliam arctè æger amplexetur: eſt enim remedium optimum. vel illi ſpinam & dorſum inunge oleis, *anethino*, *rutaceo*, *chamæmelino*, *abſinthino*, *&* *coſtino*: hujuſmodi enim ſunt, quæ partibus exterioribus applicare conſuevimus. Interius verò, & potiſſimũ ſignis concoctionis apparentibus, talia exhiberi poterunt.

℞. *Theriacæ magnæ Gal.* ʒ j.
*aquæ fœniculi* ℥ j. ß
miſce, & fiat potio exhibenda in principio paroxiſmi. aliter:

℞. *Succi apij depurati* ℥ j.
*mithridati* ʒ ß.
miſce, & fiat potio. aliter:

℞. *Succi abſinthij* ℥ j.
*caſiæ ligneæ* ʒ j.
miſce, & fiat potio. aliud:

℞. *Vini in quo decocta ſit agrimoniæ* ℥ j.
*theriacæ Galeni* ʒ j. ß.
& fiat potio, hæc potio in paroxiſmi principio exhibenda: ſpina verò & dorſum

ſum duabus horis ante paroxiſmum prædictis oleis inungentur, & ſtragulis optimè cooperiendus æger ad frigoris incommoda evitanda. Si paroxiſmus cum vomitu invadat, utile erit illum provocare, & à debilioribus incipere, & ad validiora tranſire, ut ſuperius diximus capite de curatione febris phlegmaticæ. poteris enim illi exhibere aquam calidam, cui admiſceantur oleum & aqua florum aurantiorum. Si non ſatis ſit, tunc exhibendum oxymel ſimplex cum decocto raphani, ut dictum eſt. Supervenientem ſitim ſubſequentibus ſedabis: decoquantur in aqua fœniculum & cinnamomum aut petroſelinum, de qua bibat cum ſequenti condito.

℞. *Conſervæ violarum bugloſſæ, borraginis ana* ℥ ß.
*ſpecierum frigid. diamargaritôn* ʒ ß.
*lætificantis Galeni, & ſpecierum aromatici roſati ana* ʒ j.
*ſacchari q. ſ. eſt*

miſce, & fiat conditum aureis bracteis obductum. Poterit & tale parari julebum, quod aquæ admiſtum ebibere poterit.

℞. *Aquæ bugloſſæ, ſcolopendrij, majoranæ, ſcariolæ ana* ℥ iiij.
*ſacchari quod ſatis eſt*, & fiat julebum. Si interim concoctionis ſigna appareant,

aut ſanguinis, & urina craſſa ſit, turbida & colorata; baſilica ſiniſtri brachij, aut ſalvatella manus ſiniſtræ ſecari poterit. & validiora concoquentia præſcribentur. ut;

℞. *Syrupi de epithymo, oxymelitis diuretici ana ℥ ij.*
*aquarū fœniculi, & majoranæ ana ℥ j. ß*
miſce, vel;

℞. *Syrupi byzantini acetoſi ſimpl. ana ℥ j.*
*aquarum abſinthij, & bugloſſæ ana ℥ ij.*

vel paretur ſyrupus magiſtralis hoc pacto.

℞. *Radicum apij, fœniculi, granorum ruſci, radicum aſparagi, ſambuci, fraxini, geniſtæ, tamaricis ana m. j.*
commiſceantur, & aceto fortiſſimo temperentur horis 24. deinde adde *utriuſque cichorij, ſtœchadis, utriuſque calaminthæ, eupatorij ana ℥ j.*
*ſcolopendrij m. ß.*
*abſinthij, menthæ, endiviæ, ſcariolæ, meliſſæ ana ℥ ij.*
*quatuor ſeminum frigid. minorum, ſpicæ celticæ ana ʒ j. ß.*
*mellis roſac. ℔ ij.*
*ſacchari ℔ j.*

& fiat ſyrupus, de quo ad humores concoquendos manè & veſpere exhibebis cum cicerum rubeorum decocto concoctis humoribus purgatio hoc pacto præſcribetur.

℞. *Gly-*

℞. *Glycyrbizæ raſæ ana* ℥ ß.
*polypodij foliculorum ſenæ ana* ʒ iij.
*florum borraginis . ſtœchadis , lupulorum , bugloſſæ ana* ʒ ij.
*paſſularum mundatarum* P. ſ.
*decoquantur in aqua ad* ℥ iiij. ß.
*quibus infundantur myrobalanorum Indorum pulveris Epithymi ana* ʒ ij. ß.
fiat deinde fortis expreſſio , & colatura , cui addantur *diaſenæ , caſiæ fiſtulæ ana* ℥ ß.
& fiat potio. Aliter.
℞. *Myrobalanorum Indorum citrinorum ana* ʒ ij.
*infundatur in* ℥ ij. ß. *aquæ lactis* ad horas 12. deinde calefiat , & fiat fortis expreſſio , cui adde
*caſiæ fiſtulæ diſſol cum aqua bugloſſæ* ℥ j.
*Pulveris epithymi* ʒ j.
*zinziberis* G. vj.
*rhodomellis* ℥ ß.
miſce , & fiat potio. Utiliter etiam exhiberi poterit ʒ j. pilularum Indarum quæ à proprietate humorem melancholicum educunt. Aliter ;
℞. *Lapidis armeniaci loti* ʒ j.
*pulveris ſenæ* ʒ j. ß.
*agarici* ʒ ß.
*caſiæ fiſtulæ* ℥ j.
miſce, & cum aqua majoranæ fiat potio.
Aliter in pulveris forma ;

℞. *Pulveris ſenæ, pulveris epithymi ana* ℨ ß.
*lapidis lazuli* ℨ j. ß.
*zinziberis* ℨ ß.
*cinnamomi* ℈ j.
*ſalis gemmæ* G. iiij.
*ſacchari* ℨ x.
miſce, & fiat pulvis, cujus doſis eſt ℨ ß cum aqua fœniculi, & bugloſſæ, aut abſinthij. Si verò humoribus per purgationes eductis adhuc febris perſeveret, prout in aliis dictum eſt, ad confectiones, ſyrupos, apozemata, & electuaria deveniendum. ut;
℞. *Syrupi byzantini* ℥ viij.
*ſyrupi de bugloſſa* ℥ iiij.
*aquarum quinque radicum tamaricis, & majoranæ ana* ℥ iiij.
*cinnamomi: trochiſcorum è capparibus ana* ℨ j.
his in linteo, ligatis, fiat ſyrupus in modum apozematis. confectio talis ſit.
℞. *Pulveris epithymi, ſenæ ana* ℨ ß.
*diaſenæ* ℥ j.
*lapidis armeniaci* ℨ j. ß.
*cum ſyrupo de epithymo*: fiat confectio. Electuarium hoc pacto paretur.
℞. *Specierum roſatæ novellæ, trochiſcorum de capparibus ana* ℨ j. ß.
*ſacchari infuſi in aqua bugloſſæ q. ſatis eſt*; miſce & fiat elctuarium in tabellis. Confectio

fectio alia non adeò ventrem ſolvens.
℞. *Trochiſcorum de capparibus* ʒ iij.
*trochiſcorum de abſinthio* ʒ j. ß.
*myrobalanorum Indorum* ʒ iij.
*conſervæ bugloſſæ, diacori contuſi ana* ℥ ß.
*cum ſyrupo bugloſſæ*, fiat confectio. Aliter hac ratione parari poterit.
℞. *Confectionis dialaccæ* ℥ ij.
ponantur in vaſe vitreo. ſis perpetuò ſolicitus, ut alvus laxa ſit, pro quo tali enæmate uti poteris.
℞. *Malvæ, bliti, florum chamæmeli ana m* j.
*furfuris p.* j.
fiat decoctio, in qua diſſolve *ſacchari rubei* ℥ iij.
*benedictæ* ℥ j.
*olei communis* ℥ iij.
*mellis* ℥ ij.
*ſalis gemmæ G.* x.
miſce, & fiat enæma. & quia hujus febris radix in ſplene ſita eſt, ut plurimum illi ſplenis obſtructio conjungitur. ſunt itaque ſpleni præſidia admovenda, & primo unguento hujuſmodi uti poteris.
℞. *Olei è tamarice, è capparibus irini ana* ℥ ß.
*aceti modicum cera q. ſ.*
fiat unguentum. Vel;
℞. *Olei è capparibus irini ana* ℥ j.
*aceti ſcillitici* ℥ ß.

*trochiſcorum è capparibus* ℥ ij.
*pinguedinis anatinæ, pingued. gallinæ ana* ℥ iiij.
*ceræ q. ſ. eſt,*

& fiat unguentum. Utile etiam erit fomentum, tale.

℞. *Corticum radicum capparum, corticum radicis tamaricis, petroſelini, mentaſtri, ſeminum rutæ ana* ℥ iij.
*ſalis nitri* ℥ ij.
*caricas nigras num.* x.
*florum chamæmeli, meliloti, ſeminum aniſi, fœniculi ana m.* ß.

commiſceantur, & bulliant omnia in partibus duabus aquæ, & una aceti acerrimi; & cum ſpongia foveatur locus affectus. In eundem uſum parabitur emplaſtrum tale.

℞. *Vtriuſque emplaſtri diachylon ana quod ſatis eſt, pulveris radicum ireos* ℥ j.

malaxentur *cum oleo capparum, & tamaricis*: miſce & fiat emplaſtrum, quod extendatur ſuper alutam ad formam ſplenis. Ad idem unguentum.

℞. *Foliorum malvæ biſmalvæ. radicum lilij ana* ℥ j.
*farinæ ſeminis lini* ℥ iij.
*caricarum pinguium paſſularum mundatarum ana* ℥ iij.

contundantur omnia ſimul, & infundantur in aceto acerrimo per horas octo; deinde

deinde bulliant in aqua ad ſpiſſitudinem uſque: deinde adde *unguenti dialthææ, olei amygdalarum dulcium ana* ℥ j.
ceræ quod ſatis eſt, & fiat unguentum. Vel;
℞. *Ammoniaci bdellij ana* ℥ j.
*infundantur per noctem in aceto*, & diſſolvantur: *& accipe picis navalis, corticum radicis ireos, opopanacis, ſeminum ſinapi, foliorum & radicis ſcolopendrij ana* ℥ ß.
*mucilaginis ſeminum lini* ℥ vi.
*olei de capparibus irini ana* ℥ j. ß.
*ceræ quod ſatis eſt*, miſce; & fiat unguentum Vel. paretur hujuſmodi ſacculus ad ſplenis flatus diſſolvendos.
℞. *Foliorum rutæ, mentaſtri, calaminthæ, eupatorij, abſinthij, parietariæ, ſcolopendrij, betonicæ ana m.* ß.
*calefiant ſuper calidam tegulam, & aſpergantur vino albo, & modico aceti*, & fiat ſacculus, qui calidus ſpleni eſt admovendus. quòd ſi & in ſtomacho per ſplenis conſenſum flatus generentur, fiat talis ſacculus.
℞. *Milij, panici, furfuris frumentacei, ſalis modicè triti ana p.* j.
miſce, & calefiant in vaſe æneo continuè illa movendo. ex his demum calidis factus ſacculus ſtomacho & ſpleni appli-

candus, diſcutit enim flatus ſtomachi & ſplenis. & quoniam multoties obſtructione ablata flatus in ſtomacho & ſplene remanere conſueverunt, ſequenti utaris ſacculo.

℞. *Seminum aniſi, carui, fœniculi, florum bugloſſæ ana ℥ i. ſ.*
*radicum ireos ℥ iij.*
*florum chamæmeli meliloti, ſtœchadis citrinæ & Arabicæ ana ℥ iij.*
*corticum citri ſiccorum ℥ iiij. ſ,*

commiſceantur, & ex illis fiat ſacculus ſpleni applicandus. Poteris ſimiliter poſt cibum ſubſcripti pulveris aliquid exhibere ad vim concoctricem roborandam, & flatus diſcutiendos.

℞. *Cinnamomi ℥ ſ.*
*ſeminum aniſi, fœniculi ana ℥ ſ.*
*glycyrhizæ ℥ iij.*
*flo. bugloſſæ ℥ j.*
*zinziberis ℈ j.*

fiat pulvis tenuiſſimus, cui adde ſacchari tantundem, atque illo utaris poſt cibum. Quia verò ægritudo chronica eſt, & ægri cum multis medicamentis aſſumptis non curati medicis fidem adhibere & obtemperare diutius nolunt, tunc æger naturæ relinquendus eſt, & per intervalla à medicamentis abſtinendum, & alia præſidiorum genera tentanda ſunt. Verbi gratia, injiciendus illi timor eſt, nar-

narrando rumorem eſſe, illum furtum commiſiſſe maximum, & pro illo ad ſuſpendium quæri, aut aliud ſimile, ut quod aliquis illum capere quærit, & ad fugam eſt concitandus. Poſſet etiam timor illi incuti, ſi ruina domus illi nuncietur, aut in fluvium divolvatur, ut madefiat: multi enim hac ratione curati ſunt. Cogimur autem nos, cùm alia præſidia non proſunt, ad hujuſmodi devenire. Locuſta collo appenſa à proprietate quartanam curare dicitur: quod non ratione, ſed experimento tantum eſt comprobatum. Aliquando fit quartana febris cum miſtione ſanguinis, tunc admiſcenda ſunt, quæ ſanguinem coquere, & puriorem reddere poſſunt.

℞. *Syrupi de endivia, de bugloſſa ana* ℥ j.
*aquarum cichorij, bugloſſæ ana* ℥ j. ß.

poſt ebibitos ſyrupos hujuſmodi erit adhibenda purgatio.

℞. *Diacatholici* ℥ j.
*diaſenæ* ʒ iij.
*electuarij de ſucco roſarum* ʒ ij.

diſſolvantur in aqua lupulorum, & fiat potio. Si verò humori melancholico cholera admiſta ſit, tunc ijs quæ melancholicum humorem concoquunt, & purgant choleram, concoquentia & purgantia in debita proportione ſunt admiſcenda. Concoquentibus his uti poteris.

℞. Sy-

℞. *Syrupi violacei è bugloſſa ana ℥ j.*
*aquarum ſcolopendrij, lupulorum fumariæ ana ℥ j.*

purgatio poterit per hæc fieri.

℞. *Confectionis hamech ʒ iij.*
*caſiæ fiſtulæ ℥ j.*

*cum aqua ſcabioſæ, & bugloſſæ* : fiat potio, eadem proportione, ut ſiti, & alijs ſymptomatibus occurras, procedendum eſt, & præſidia quæ in hoc capite expoſita ſunt, his quæ in capite de curatione tertianæ ſimplicis præpoſuimus, ſunt admiſcenda. Si verò humori melancholico admiſtum ſit phlegma, talibus concoquentibus uti poteris.

℞. *Rhodomellis ſyrupi de bugloſſa ana ℥ j.*
*aquarum bugloſſæ, & fœniculi ana ℥ j.*

Vel;

℞. *Syrupi acetoſi ſimplicis, oxymelitis ſimplicis ana ℥ j.*
*aquarum abſinthij, ſcabioſæ, fumariæ ana ℥ j.*

miſce eadem ratione commiſceri poterunt confectiones, opiata, electuaria apozemata, utriuſque humoris ratione habita. Ex his patet, qua ratione quartana febris curari poſſit, ſive ſimplex ſit, ſive compoſita. Pariter curari poterit quartana continua: aut enim fient ab humore ſimplici, aut compoſito: ſi à ſimplici fiat, his quæ humorem melan-

cho-

cholicum concoquere & evacuare poſſunt, inſiſtendum: ſi verò ab humoribus permiſtis oriatur, tunc humor qui melancholiæ conjungitur conſiderandus, & pro illius natura concoquentia & evacuantia ſunt injungenda, ut docuimus & ita abſoluta eſt curatio febrium putridarum. Et ſi ſint febres aliquæ quintanæ & ſextanæ, ut Nicolus dicit, ſunt quartanæ quinta vel ſexta die repetentes: quare materia quæ morbum facit, potius indicat melancholiam, quia eſt tardi motus, quamvis fieri poteſt, ut hujuſmodi febres ab alijs humoribus oriantur. Sunt tamen ſigna conſideranda, ut ægritudines dignoſcantur, & pro ratione materiæ peccantis ſunt applicanda præſidia. Hæc quidem præſidia ſunt, quibus medici prudentes uti conſueverunt; illis Hiſpani medici neque uti, neque ea diſcere volunt. *Vno præſidij genere ſæpius uſus ſum, quod tale eſt, ut pro illo omnes Deo optimo maximo gratias reddere debeamus, qui talem vim huic medicamento, prout & alijs multis, conceſſerit. eſt autem tale, ut cùm primum quis illo uti cœperit, ſtatim illius vires, commodum & utilitatem percipiat. Eſt autem hoc medicamentum ſalſa parilia; cujus decoctum eo quo dicimus modo paratum, ebibitum quartanas brevi curat. Paucis diebus etiã cujuſcunque ſpeciei hydropem ſanat,*

*nat, adeò ut illam magno miraculo Deus creaſſe videatur, & ejuſdem uſum nobis oſtendat, ad hujuſmodi & alias plurimas ægritudines propulſandas, cum tam brevi illas curet; nec inſuavis adeò ſit, ut quiſpiam abhorreat.* Modus autem in quartanis curandis obſervandus talis erit. Præmittendæ ſunt evacuationes aliquæ, prout hoc eodem capite declaravimus. Evacuatione facta, atque eadem, ſi oporteat iterata, decoctum ſalſæ pariliæ eo, quem hic tradimus, modo paratum, in prandio & cœna loco aquæ, aut vini pro potu eſt exhibendum; neque ſudores provocandi ſunt, aut alia adhibenda diligentia, niſi aliquæ huic febri aptæ evacuationes factæ fuerint. ab his curationem auſpicaberis. Primo quinque diebus ſummo manè hujuſmodi ſyrupus exhibendus.

℞. *Oxymelitis. ſ.*
*ſyrupi de bugloßa ana* ℥ j.
*aquarum bugloßæ, endiviæ ana* ℥ j. ß.

quibus abſolutis, peccantes humores tali medicamentò minuendi.

℞. *Diaſenæ, electuarij Indi ana* ℥ ß.
*myrobalanorum Indorum* ʒ ij.

miſce, & cum decocto communi fiat potio: deinde ad ea quæ validius concoquunt & evacuant, deveniendum, videlicet;

℞. Ra-

℞. *Radicum apij, fœniculi, cichorij, eryngij,*
*contuſarum ana* ℥ ij.
*polypodij quercini optimè contuſi* ℥ iij.
*foliculorum ſenæ* ℥ j.
*ſcolopendrij, dauci cretici ana m.* j.
*thymi, epithymi ana p.* j.
*decoquantur in aquæ* ℔ xij.
*& aceti* ℔. j. ß. *ad* ℔ x.
fiat deinde colatura cum forti expreſ-
ſione; cui adde *ſacchari rubei* ℥ viij.
*rhodomellis* ℥ iiij.
*mellis communis deſpumati* ℥ v.

miſce, & fiat apozema, è quo æger ſin-
gulis diebus ſummo manè ebibat xij. ℥
& totidem veſpere. Aliter etiam pote-
rit parari apozema hoc pacto.

℞. *Florum borraginis* P. vj.
*epithymi* P. ß.
*polypodij* ℥ iiij.
*ſenæ* P. iij.
*myrobalanorum Indorum* ℥ ij.
*ligni ſancti* ℔ j.
*terantur optimè, & decoquantur in* ℔ xij.
aquæ ad quartæ partis conſumptio-
nem: deinde fiat colatura cum forti
expreſſione, *cui adde mellis commu-
nis* ℔ j. ß.
*ſacchari* ℥ iiij.
*conſervæ, borraginis, ſtœchadis ana* ℥ ij.

& fiat apozema. Concoctos humores
tali medicamento purgabis.

℞.

℞. *Maſſæ pilularum Indarum aggregativarum ana* ℥ ß.
*Dacridii* G. ij.

miſce, & fiant pilulæ v. abſolutis evacuationibus, ſalſæ pariliæ decoctum hoc pacto parabitur.

℞. *Salſæ pariliæ* ℥ iiij.
contuſæ in mortario, & minutiſſimè inciſæ, & decoquantur in aquæ ℔ xvj. *cum ſenæ* ℥ ß.
fiat autem decoctio lento igne, quouſque abſumantur libræ iiij.
tunc illi adde *epithymi* ℥ ß.
*hermodactylorum electorum & contuſorum* ℥ ij.

qui prius cum modico parati decocti diſſolvantur, & parumper inſuper bulliant; deinde amoveantur ab igne; vas optimè claudatur, quouſque decoctum frigeſiat: fiat colatura, qua utatur pro potu in prandio & cœna, quantum ægro ſatis eſt. Facta prioris decocti colatura, aqua his quæ ſuperſunt fæcibus in eodem vaſe affundenda, & fiat altera decoctio ad conſumptionem ℔ j. alterum hoc decoctum ſervandum eſt, ut in illo quæ ſecundo coquenda erit ſalſa parilia decoqui poſſit, cum ſena epithymo, & hermodactylis, ut jam diximus. erit autem illi tantum aquæ ſuperaddendum, ut menſura prius à nobis conſtituta ℔ ex-

expleatur. Hujuſmodi verò decoctum ad vigeſimum diem uſque bibendum erit: hoc enim temporis ſpatio quartanas curat, & in diebus x. hydropem. Interim neceſſe eſt, ut recta & accurata victus ratione æger utatur, comedat carnes boni ſucci, ut vervecinas, & gallinarum elixas; à jure tamen carnium abſtineat. Carnibus tantum veſcatur & modico pane. Hœdorum etiam carnes, & montanarum avium, his conveniunt: in cœna à carnibus abſtineat: & paſſulis vel amygdalis cum modico pane veſcatur, & ex parato decocto bibat, ut diximus. Illud animadvertendum eſt, quòd ſi quartana matutinis horis invaſerit, ut æger cibum, & potum uſque in veſperum differat, & febris declinatio expectanda; ſi veſpere febris invadat, tunc ſex vel octo horis ante illius principium æger cibandus erit.

Medici omnes, qui hucusque de tabe ſcripſerunt, curari illam non poſſe affirmant. quòd autem, aut nullo modo, aut difficillimè curari poſſit, ex eo fieri affirmant, quia tabes fit ex acris & erodentis humoris in pulmonem defluxu, ex quo ulcera in pulmone fiunt: quæ quidem curari non poſſunt, quia pulmo propter reſpirationem in perpetuo motu eſt; ulcera vero ſi ſanari debeant, quie-

tem

tem requirunt. neque quæ hucusquæ ſcripta ſunt præſidia, profuiſſe viſa unquam ſunt, neque medicus qui tabem curet, adhuc eſt inventus, cùm multos in pectore & dorſo vulneratos curaverim, quibus omnino transfoſſus fuerat pulmo. qui omnes meis remediis ſanati ſunt, neque ullus, quod Dei bonitati adſcribo, unquam periit. conjectura quadam ductus argumentabar. Si hi, quibus maximā ſunt in pulmone vulnera, & pulmo omnino transfoſſus eſt, & propter illius motum perpetuum tam copiosé ſanguis effluit, his remediis, Deo juvante, ſanantur omnes: quare & tabidi non ſanabuntur, quorum ulcera in pulmone tam parva ſunt? cùm hæc animo revolverem, atque illos ſanari poſſe judicarem, in uno curationem ſum expertus, qui ita convaluit, & ſanus evaſit, ut nullus unquam melius: & tabidi febre continua laborantes, hoc remedio convaleſcunt, pingues fiunt, & boni habitus, & bene colorati, ut nihil ſuperſit expetendum. Modus curationis talis eſt: Primo præcedente humorum præparatione purgandi ſunt, & tribus diebus illis exhibendus hujuſmodi ſyrupus.

℞. *Syrupi roſati, ſyrupi è capillis veneris ana* ℥ j.

*aquæ*

*aquæ ſcabioſæ* ℥ iij.

quarta die has pilulas devorent.

℞. *pilularum aggregativarum de agarico ana* ʒ ß.

acuantur & formentur pilulæ v. ſequenti die ſubſcriptum apozema capere incipient, quod die purgationis parandum eſt, & coquendum; & in eodem vaſe omnia relinquenda ſunt uſque in diem ſequentem, nam tunc ſummo manè colatura cum forti expreſſione facienda eſt, & præparatio abſolvenda.

*FINIS.*

Arcanis

536
187

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0340-2

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0341-8

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0342-4

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0344-5

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-12320-p0345-1
DFG